



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>


---

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>









9<sup>r</sup> 11287

QUOD DEUS BENE VERTAT.  
EXERCITATIO  
JURISPRUDENTIÆ UNIVERSALIS  
DE  
JURE NATURÆ GENTIUM  
ET  
SUMMO IMPERIO.

Quam  
Præmissâ serie Chronologicâ Archi-Episcoporum &  
Episcoporum ex Serenissimâ Ducum Bavariz Domo, à  
primâ Ejus Origine ad nostra usque tempora deductâ,  
Et Annexis ex Diverso Jure Corollariis, in Celeberrimâ Uni-  
versitate Herbipolensi,

P R Æ S I D E

*Prænobili, Clarissimo & Consulissimo Viro Domino*

D. LEONARDO CARLIER

Juris Utriusq. Doctore, & in hac almâ Universitate  
Professore Publico, nec non REVERENDISSIMI & CELSISSIMI  
PRINCIPIS. EPISCOPI HERBIPOLENSIS Consiliario,  
*Tribus' examinibus ritè tentatus*

PRO ADIPISCENDA JURIS UTRIUSQUE LICENTIA  
Publicæ Disquisitioni

Subjecit

FRANCISCUS JOACHIMUS WILHELMUS HESS

Wertheimensis A. A. LL. & Philosophiæ Magister


J. U. Candidatus, Author & respondens,

IN AUDITORIO ICTORUM,

Die Mensis Junii 1725. horis ante & post meridiem consuetis.


---


HERBIPOLI, Typis Marci Antonii Engmann. Universitatis Typographi.





*REVERENDISSIMO*  
*ET*  
*SERENISSIMO*  
*S. R. I. PRINCIPI*  
*AC*  
*DOMINO,*  
*D. JOANNI*  
*THEODORO*  
*EPISCOPO RATISBONENSI,*  
*COADJUTORI FRISINGENSI,*  
*UTRIUSQUE BAVARIÆ ET SUPERIORIS*  
*PALATINATUS DUCI,*  
*COMITI PALATINO AD RHENUM,*  
*LANDGRAVIO LEUCHTENBERGÆ &c.&c.*  
*PRINCIPI AC DOMINO SUO CLE-*  
*MENTISSIMO.*





REVERENDISSIME  
ET  
SERENISSIME  
PRINCEPS,  
DOMINE,  
DOMINE CLEMENTISSIME.

**I**nter Augustas Familias, quæ ante ipsa  
Imperii à Græcis in Occidentem translati  
exordia, nobilissimas Germaniæ Pro  
vincias vel rerum gestarum magnitu  
dine illustrârunt, vel temperato ad  
omnem æquitatis & Sapientiæ normam domina-



tu gubernârunt, nulli palmam concedit Inclyta *DU-  
CUM BOJOARIÆ DOMUS*. Hæc inter triumphos na-  
ta continuo bellorum cum finitimis & exteris genti-  
bus assultu exercita, inter varios temporum & fortu-  
næ vicissitudines perpetuo armorum usu non tantum  
non attrita, sed, quæ gemmarum & nobilioris metalli  
prærogativa est, perpolita magis avitos splendores  
in eam Serenitatem explicavit, quâ eam hodie  
undequaque circumfusam admiramur. Antiqua  
decora si commemorare fas est, vix alios Germania  
*DUCES* noverat quàm *BOJOARICOS*, Regum quando-  
que titulis ita insignitos, ut alternante Majestatis vice  
nullum fasces inter & purpuram, inter Ducalem pi-  
leum & diadema Regium facere viderentur discrimen  
Hæros illi, qui Provinciarum longè lateque in utrâ-  
que Germaniâ, & Belgicâ parentium frœnâ regebant,  
quæ regni amplissimi vires ac potentiam & æquarent  
& complecterentur; tam numerosos in hostem co-  
gebant exercitus, quos soli sub Ducum nomine Im-  
peratores animarent: Hinc celebrata illa in Veterum  
annalibus *THEODONIS, UTILONIS, SIGEBER-  
TI, ASOBERTI & ARNOLPHI* nomina, ex quo-  
rum Sanguine *PIPINI, CAROLIQUE* cognomen-  
to Magni stirps gloriosissima profluxit, quæ in duos  
divi-



divisa ramos Francis Reges, Bojoariæ vero & Duces  
& Reges eo successu dedit, ut quidquid in Carolo  
augusti, ejusque posteris magnum eminent, id Boicæ  
Origini, quidquid in Ducum Bojoariæ Nepotibus  
augustum & nobile, id omne hæreditario Carolini  
stemmatis fortitudinisque fluxu felici venâ in eos  
derivatum, ex sinceriorum genealogorum tabulis  
suspiciamus. Hæc olim ex æquo æstimans Frideri-  
cus primus sapientissimus Romanorum Imperator &  
meritorum integerrimus arbiter detracturum se  
Boicorum Principum gloriæ existimavit, nisi Augu-  
sti sanguinis celsitudinem restitutis pristinarum ditio-  
num sortis malignantis invidiâ ereptarum possessi-  
onibus honoraret, quas facta Rhenani Palatinatûs  
accessio cumulavit: Nova Serenissimæ Domûs in-  
crementa Imperii Romano-Germanici Status & Or-  
dines suis suffragiis approbâsse meritò censendi sunt,  
dum *LUDOVICUM BAVARUM*, Romanorum  
Regem & Cæsarem inauguratum potentissimæ in  
Orbe Christiano Monarchiæ fortiter suaviterque mo-  
derandæ parem, summoque hoc apice dignissimum  
majoribus calculis judicarunt: Tunc quasi tributa-  
ria Majestati Bavaricæ felicitas Marchiam Branden-  
burgicam, Hannoniam, Hollandiam, Styriam,  
Tyro-



Tyrolim, aliosque florentissimos Principatus novo subjectionis tibulo adjecit, Bohemiæ pariter concessura Regnum, si posthumi hæredis Jura vel regnandi causâ violare *ALBERTI* pietas potuisset: sic opibus viribus & potentiâ, magis autem nativo virtutis Heroicæ splendore exornata, unicum magnitudinis suæ complementum in eo nunquam non collocavit, ut Tanta meritis rebusque pro Deo & Ecclesiâ præclare gestis æstimaretur cœlo, quanta in terris à subditarum gentium multitudine colebatur: Tacebo hic, ceu omnium conspectui admirationique exposita innumera sanctitatis Christiano-Catholicæ monumenta, quæ immensis sumptibus ita acta & firmata sunt, ut devotus Deo superisque Ducatus Bavaricus in veræ Pietatis Domicilium, arcem inexpugnabilem fidei, hortumque clandestinis aut apertis novorum dogmatum irruptionibus conclusum, Principum suorum exemplo & munificentia constitueretur: Tacebo posteriorum Ducum Baviaræ gloriosa & Heroica facinora, quorum memoria nullâ obliviosi temporis diuturnitate oblitteranda tam recens adhuc tenetur, ut ea compendiariâ narratione hic exponere idem foret, ac luci umbram offundere, & debitæ laudis magnitudinem summis Principibus decerpe-



erpere: Hæc igitur dum reverenti potius silentio involvo, ad Te tamen *REVERENDISSIME & SERENISSIME PRINCEPS*, paulatim me convertens, illos è Majoribus Tuis omnino prætereire non possum, quos præ aliis omnibus imitationi Tuæ proponendos putasti; illos intelligo, qui Pallio Mitrisve ornati velut totidem fulgentissima sydera virtutum suarum splendore Boicam illustrant Domum, quorum tot Serenissima hæc Domus numerat, quot vix ulla alia Imperii Principum. Certè uti nulla Imperii Germanici Provincia est, quam Leo Bavarus domino pede non pressit, ita in hierarchico Ecclesiæ Germanicæ ordine celsior cathedra vix eminent, è qua Bavarici sanguinis Antistites Christianæ vitæ leges & disciplinam fidelibus populis pastoralis sollicitudine non dictârunt. Quatuor enim supra triginta juxta adjunctam seriem è Bavarico & Palatino Stemmate ab Arnulpho ad nostra usque tempora numero, quorum merita coronavit cœlum, quorumque nomina Metenses, Leodienses, Moguntinenses, Colonienses, Augustani, Salisburgenses, Ratisbonenses, Monasterienses, Magdeburgenses, Argentinenenses, Spirenses, Frisingenses, Naumburgenses, Worma-  
) ( tien-



tienses, Ultrajectenses, Passavienses, Hildesenses, Berchtolsgadenses, Paderbornenses, Equestris Ordo Teutonicus, Uratislavienses, Elvacenses, Trevirenses, Sacris insculpta Dyptichis conservant, labores enumerant, virtutum & munificæ pietatis monumenta ostentant, quibus nati è Bojcorum Ducum regali sanguine Præsules Domum Dei in nobilissimis Episcopatibus ornârunt. Horum & Tu insistens vestigiis *REVERENDISSIME & SERENISSIME PRINCEPS* ex duplici, quam Majores Tui ad supremum veræ gloriæ apicem calcârunt, viâ, eam elegisti, quæ sublimiore ductu Te adhuc in terris constitutum cœlo propius admoveret: Rosea aliis sed spinis obsita ad astra via fuit, Tibi lactea inter Sacra Religionis adyta præplacuit, ad antiquissimæ enim Ratisbonensium Ecclesiæ Regimen omnium votis expetitus, omnium lectus suffragiis, miti revinctus oleâ & togatâ purpurâ amabilis, expeditior eò evolâsti, quo alii Majorum Tuorum, bellico armorum pondere & curarum publicarum mole pressi sæpe non sine cæde & sanguine potuerunt eluctari: Hæc prima Tibi de cœlo demissa sponsa est, nova Salomoni novo Jerusalem, in quâ Regale Sacerdotium &





& Dux & Episcopus pari gloriâ administrares: Hæc Ratis beata, bona navis, quam sub Principis Apostolorum patrocinio Typhis regis: Augusta hæc olim Tiberii, nunc meliore & sanctiore titulo *THEODORI* est, in quâ pretiosas avitæ Religionis colonias tueris, vere *THEODORUS*, id est, *donum DEI*, singulari Providentiæ divinæ beneficio concessum, cum quo bona pariter omnia felici accessione in subditos redundârunt: Claves hîc Tibi suas porrexit Petrus Apostolicæ potestatis indices, quibus subjectis cœlum aperis, Tibi verò celsissima merita Tua & infusæ cum stirpe & sanguine supremo dignitatum Ecclesiasticarum apice dignissimæ dotes ad plures Infulas, præeunte jam aliis in exemplum Frisingâ, frequentem aditum referabunt.

Arduum hoc de Augusta Bavaricæ Domûs in utroque statu magnitudine, Tuisque celsissimis meritis & virtutibus argumentum, trepidante licet & fatiscente sub immensâ rerum dicendarum mole imbelli calamo, paucis tamen attingere volui, ut orbi literato audaciam forte hanc meam temeritatemque non sine stomacho demiranti testatum facerem, quâ de causâ laborum meorum coronidem inter exteros:



contextam Tuo potissimum *REVERENDISSIME*  
& *SERENISSIME PRINCEPS* folio demississi-  
mè advolvam.

Libatis in hac alma Universitate Herbipolensi  
studii juridici primitiis, ea quæ hic posueram funda-  
menta ulteriori opere perfecturus, adventûs Tui fa-  
mâ per omnem latè Germaniam diffusâ accitus, ad  
celeberrimam Universitatem Ingolstadianam me  
contuli, quam Progenitorum Tuorum sapientissi-  
ma liberalitas præter complura alia artium & litera-  
rum seminaria magno orbis Christiani bono condi-  
dit. Hic Inclytæ Domus stirpisque Tuæ gloriam  
tam frequentibus scriptorum calamis omni ævo ce-  
lebratam è propinquo contemplanti ea mihi præ cœ-  
teris singularis felicitas obtigit, ut quidquid excelsum  
de Majoribus Tuis laudarunt alii, id omne in vivâ  
Eorum imagine, in vultu & indole Tuâ, *SERENIS-  
SIME PRINCEPS* ingenti solatio meo coram lice-  
ret venerari: Hic *WILHELMORUM* pietas &  
magnanimitas, *ALBERTORUM* Religio & sapien-  
tia, constantia *FERDINANDI*, *OTTONUM* &  
*LUDOVICORUM* Majestas, atque, ut in uno dicam  
reliqua, *MAXIMILIANI EMMANUELIS* glo-  
riosis-



riofissimi Parentis Tui invicta fortitudo & magnificientia ex Principali fronte & oculis ceu collecta in iridem illustrissimorum colorum amoena varitas promicabant, & licet cunctorum animos in debitam tanto Principe reverentiam profundè inclinarent, Clementia tamen Tua & suavissima Comitas illa virtutum Tuarum lux & actionum omnium dulcissimum condimentum vi plus quàm magneticâ eos omnes in Ducis amabilissimi cultum & obsequia pertraxit, quibus vel primo obtutu eam licuit etiam à longè delibare: atque ut de me, quod res est, fatear, dum gratiosissimum alloquium cum dexteræ Ducalis osculo fervorum minimo non semel indulgeres, Herculem in Serenitate tua sentiebam Germanicum, qui aurea clementiæ & suadæ Principalis catenâ devinctum pectus Tuis ita nutibus mancipasti, ut palæstrâ, quam tunc non ita pridem ingressus eram, pedem non efferre decernerem, nisi aliquam devotissimi affectûs hostiam ad aram Clementiæ Tuæ litassem. Talis proinde hostia Theses hæ meæ sunt, *REVERENDISSIME & SERENISSIME PRINCEPS*, ad quas Augusto Nomini Tuo cum gratiosissimâ veniâ Tuâ inscribendas, non parum fiducia addidit

X 3

ipse



ipse hujusce scripturæ genius & argumentum, quod ad *SERENITATIS TUÆ* pedes debitorem me inclinat, ne à juris Naturæ, quod explicandum suscepi, principiis exerrans, in sanctam illam, mentique humanæ primitus indelebili charactere inscriptam legem peccare videar, quæ perenni gratitudine in brutis etiam animantibus non raro commendatâ suis benefactoribus arctissimè obstringit: Accedit summum Imperium, cujus initia & primæ quasi lineæ hic ducuntur, quod ipsum denuo argumentum etsi Te non undequaque dignum (quid enim minutias inter scholasticas Tanto Principe dignum invenias?) forsitan tamen ideo Tibi proprium rectè dixerim, quod uti Majores Tui sub Imperatorum, Regumque titulo amplissimis Provinciis cum summo Imperio jam dudum præfuere, ita & Tu, utut ad Imperandum jam natus, forte tamen Domini eorum insuper Germaniæ Præfulum numero adlectus es, qui unito cum pedo & stolâ gladio communicata sibi summi Imperii jura Dominatu Majestati æmulo in commissos sibi populos exercent. Duplici hoc & debitæ gratitudinis, & subjectissimæ venerationis titulo præsens istud emensi à me in tribus celeberrimis Herbipolensium,

sum, Ingolstadiensium, Lovaniensiumque Universi-  
 tatibus quinquennalis studii juridici quaecumque  
 specimen, ceu quoddam devotissimi affectûs pignus  
 offerre præsumo, quod quò tenuè magis atque exi-  
 guum est, eo pleniori cum consecrantis fiduciâ gra-  
 tiæ Tuæ se patitur insinuari: Non abs re porrò cen-  
 sui Serenissimi Bavarici & Palatini stemmatis Antisti-  
 tum feriem Chronologicam ex Authoribus sub fi-  
 nem nominatis congestam, ipsa Thesium mearum  
 fronte exhibere, ut quidquid in illis & oculis & ma-  
 nibus *SERENITATIS TUÆ* minus & inferius est, &  
 Tuo & Boicorum Præsulorum, quorum spiritu regis,  
 quorum virtutibus animaris, titulo illustretur: Con-  
 ciliabunt forte Maxima Nomina Clementissimum  
 Patrocinium studiis meis, quorum oculatus olim  
 Testis, nunc continuatis favoribus Clementissi-  
 mus Protector esse dignaris. Suscipe Igitur *REVE-  
 RENDISSIME & SERENISSIME PRINCEPS*  
 primam hanc grati submississimique animi in per-  
 brevi libello tesseram, quam Celsissimo Nomini Tuo  
 inscribo, simulque ardentibus ad cœlum votis pre-  
 cor, ut *SERENITATEM TUAM* ad Orthodoxæ  
 Ecclesiæ decus & incrementum, Augustæ Domûs  
 Bava-




Bavaricæ gloriam, plurimorumque salutem quàm diutissime sospitem conservet, & sicut Serenissimorum Majorum Tuorum virtutes & merita, ita & singulorum annos longæva incolumitate æquare faciat & superare. Hoc iterum iterumque vovet

# REVERENDISSIMÆ SERENITATIS TUÆ

*Servorum ac Clientum Infimus,  
obsequentissimus*

Franciscus Joachimus Wilhelmus Hefs

SERIES.



**SERIES**  
**ARCHI - EPISCOPORUM**  
 ET  
**EPISCOPORUM**  
*EX SERENISSIMA DUCUM*  
*BAVARIÆ DOMO*  
 à Primâ Ejus Origine ad nostra usque tempora  
 deducta.



**ARNULPHUS**, *Dux Austrasiae & Mo-*  
*sellaniae, Major Domus, sive Princeps Pala-*  
*tinus Regis Francorum; abdicato aule mundi-*  
*que fastu, & uxoris ac filiorum affectibus ex-*  
*peditus, vitæ sanctioris amore in solitudinem*  
*concessit. Hic dum rerum cœlestium contemplationi, alis-*  
\*
que



que virtutum sublimiorum exercitiis vacat, famâ sanctitatis ejus longè lateque diffusâ, Metensium Episcopus eligitur quo in munere Optimi Pastoris partes adimplens, zelo animarum, liberalitate in pauperes, paternâ de commissarum sibi ovium salute curâ, licet bonorum omnium affectus raperet, obtrectatorum tamen calumnias effugere non potuit, qui vitam Ejus integerrimam pessimè traducentes, occultis voluptatibus deditum apertè criminabantur. Non tulit Deus impiam maledicorum licentiam, quos immisso cœlitus igne castigavit, viri autem Sanctissimi virtutem palam asseruit. Miraculis in vitâ & ab obitu clarus, obiit Anno Domini DCXL.

II. S. CLODULPHUS, S. Arnulphi Filius, Episcopus Metensis, à SS. Parentibus cum illustri sanguine quasi hereditariam accepit sanctitatem. Hic, uti loquitur author vitæ, in omnium virtutum Gymnasio nobilissimè assuetus, & bonæ actionis scholis decentissimè informatus atque eruditus, qui aliis bene subesse noverat, deinceps subditis diligentissimè præesse, & commissos honestissimè regere cœpit &c. Fide perfectus, spe credulus, charitate dulcissimus, pietate insignis, sermone ad utilia promptissimus, ad vana dicenda rarissimus, vel etiam nullus, castitate continentissimus, eleemosynis largissimus, erat Christi bonus odor

in





*in omni loco S. Trudonem Angelico monitu ad se missum benignè sucepit, & litteris ac virtutibus excultum, ad sanctioris vitæ normam amplectendam disposuit. Ejusdem S. Trudonis facultatibus, Deo & S. Stephano oblati, Ecclesiam suam auxit: plenus dierum & meritorum obiit, Anno Domini, DCXCIV.*

**III. S. HUGO**, Pipini Heristalli nepos, ex Primicerio Metensi Archi-Episcopus Rothomagensis, Parisiensem simul & Bajocensem Ecclesias, cum Monasteriis Fontinnellensi & Gemmeticensi Præsul rexit, ad tot Insulas & Prælaturas à Patruo suo Carolo Martello Regibusque Francorum promotus, non, ut Chronicon Fontinnellense ait, causâ perverse cupiditatis, aut aliquo seculari fastu, sed ad incrementum Ecclesiarum, pro quarum constructione, propagatione & exaltatione pervigilem sollicitudinem impendit: Illas enim non solum summâ sapientiâ, religione, & benignâ in omnes charitate administravit, sed & amplissimis possessionibus, tum ex proprio patrimonio oblati, tum ab aliorum virorum & matronarum illustrium liberalitate impetratis ornavit & amplificavit. Obiit Anno Dom. DCCXXX. In eadē S. Mariæ Gemmeticensi sepultus.



**IV. CHRODEGANGUS**, in palatio *Caroli Martelli* enutritus, ejusdemque referendarius, postmodum creatus *Episcopus*, temporibus *Pipini Regis Ecclesie Metensi* praeficitur, obtento etiam *Archi-Episcopi* titulo, ob *Pallium* à sede *Apostolicâ* acceptum; quo titulo ejusdem sedis *Episcopi* diu postmodum gavisi sunt. In *Chronico Laurishaimensi* trium *Monasteriorum* conditor dicitur, *Hilariacensis*, *Goriziensis*, & *Laurishaimensis*, appellatus quoque hujus postremi *Asceterii Abbas* per excellentiam, eo quod ipsi à *Fundatoribus* informandum instituendumque commissum sit. *Corpus S. Gorgonii Martyris* in *Basilicâ Goriziensi*, *S. Naboris* in *Hilariacensi*, *S. Nazarii* in *Laurishaimensi* publica venerationi exposuit, *Canonicis vivendi normam* ex *S. Benedicti regulâ* desumptam eâ lege praescripsit, ut communem inter se vitam ducerent. Postquam annis viginti tribus, mensibus sex *Ecclesiam Metensem* rexisset, plenus meritorum obiit *Anno Dom. DCCLXVI.* in *Monasterio Goriziensi* sepultus.

**V. S. REMIGIUS**, *Caroli Martelli filius*, *Archi-Episcopus Rothomagensis*, quantumvis renitens electus, dono *Virginitatis*, rerumque humanarum contemptu clarissimus, sedecim annis *Ecclesiae suae sanctissimè* praefuit. *Ritus Ecclesiasticos*, cantumque *Romanum* adnitente *Pipino Fratre suo*,  
Fran-



*Francorum Rege induxit in Gallicanam Ecclesiam. Corpus S. Benedicti è Monasterio Floriacensi in gratiam Carolomanni Fratris sui, in monte Cassino religionem professi, ed translaturus, divinitus prohibetur. Magnas tamen è sacro hoc thesauro reliquias à Medone Abbate impetrat. Moritur Anno Domini DCCLXXI. Rothomagi primum, postmodum in svesionensi S. Medardi canobio sepultus: sed anno 1090. Reliquie ejus Rothomagum relatae sunt.*

**VI. S. GERBALDUS**, Anno 785. praeesse Ecclesie Leodiensi Episcopus cepit, & annis viginti sex eandem sanctissime gubernavit. Interfuit Concilio Aquisgranensi, Anno celebrato. Leonem III. summum Pontificem in Germaniam delatum humanissime excepit. Obiit An. DCCCIX. Leodii in Cathedrali sepultus.

**VII. CAROLUS**, Pipini Regis Aquitaniae Filius, Archi-Episcopus Moguntinus, Vir, ut habet MS. apud Serarium, carne quidem nobilis, sed omnium virtutum genere nobilior, conversatione religiosus, devotione plenus, scientiam legis divinae & humanae optime pollens, nondum ad Infulas promotus suam adhortatione & consilio effecit, ut Imperator Lotharius Imperii fasces deponeret, & spretam mundi pompam in Monasterio Prumiensi, assumpto religioso habitu



se Deo devoveret. Ad S. Sedem Moguntinam euectus, licet Metropolitim ac Dioecesin suam gravissimo, terræ motu concussam & vastatam, Daemonum insuper, apertè in ades, fruges & incolas grassantium, invidiâ diræxatam cerneret, nihil eorum prætermisit, quæ ad vigilantissimi Præsulis officium pertinent. Magnam de jure Ecclesiastico aliisque synodum celebravit, cui ipse præsedit: ejus Consilio Nicolaus I. Pontifex Maximus & Ludovicus II. Imperator multa ad Pontificatum & Imperium Romanum pertinentia utiliter statuerunt: Hinc frequentes ad Carolum Papæ epistola, quarum aliquas refert Gratianus in Decreto. Ecclesiam S. Albani terræ motu quassatam restauravit. Obiit Anno Domini DCCCLXIII. Moguntia ad S. Albanum sepultus.

VIII. HERMANNUS, *Archi-Episcopus Colonien-  
sis hujus nominis secundus, cognomento Nobilis, Conrado II.  
Imperante unanimi totius populi consensu electus, Eccle-  
siae strenus cum magno subditorum commodo Administra-  
tor, sive armis decertandum erat ( ut loquitur Gual-  
terius ) sive pace res turbulenta transigenda forent. Eccle-  
siam S. Severini vetustate collapsam restauravit & amplifi-  
cavit. Monasterium villa Regia, consumptis peste Virgi-  
nibus, duodecim Monachis ex S. Panthaleonis illuc transla-  
tis tradidit, post octodecim Regiminis annos obiit MLIV.  
vel V. in Monasterio D. Petri tumultatus.*

IX.



**IX. THEODORICUS**, eruditione morumque sanctitate conspicuus, ab Henrico III. Imperatore ad Leodiensem Episcopatum ex merito promotus, anno 1048. sub Clemente II. Romano Pontifice, eundem annis 28. utilissimè administravit. Huius magnificam extruxit Basilicam in honorem Sanctissimæ Dei Genetricis, fundavitque quindecim Canonicos, Divinum ibi officium peracturos. Illuc corpus S. Domitiani honorificè transtulit. Hannoniensem Comitatum à Richilde & Balduino ejus Filio oblatum, Ecclesiæ suæ adjecit. Obiit anno MLVII. Huius sepultus.

**X. HERMANNUS**, Anno 1096. favore Henrici IV. Imperatoris Episcopus Augustanus electus, restauravit urbis moenia, & magnificis ædificiis ac propugnaculis Augustam fecit, longè quam fuit antea, munitiorem & elegantiore. Sub ejus Regimine fundatum est celeberrimum Monasterium Urspergense, Augustam inter & Ulmam ad Mindulam amnem situm à Wernbero & Conrado Comitibus à Belzhausen & Schwabegk; quorum soror Gisela Comitissa eodem tempore extruxit Parthenonem Nobilium Virginum, quæ sub Abbatissæ curâ ad omnem pietatem meramque honestatem educata, ad convenientia statui & conditioni suæ matrimonia libertatem servant. Obiit Hermannus anno Domini MCXXXIII.

**XI. CON.**



XI. CONRADUS, *Frater Ottonis Palatini, Archi-  
Episcopus Moguntinus, postea S. R. E. Cardinalis & Epi-  
scopus Sabinensis, juxta aliquos etiam Archi-Episcopus  
Salisburgensis, contra Rudolphum Zaringia Ducis Fi-  
lium, & Christianum Comitem à Buche, admittente Fri-  
derico I. Imperatore electus, Archi-Episcopus Mogunti-  
nus, Anno 1162. sed biennio post ab eodem Friderico sede  
suâ pulsus, quod Octaviano Cardinali tit. S. Ceciliae An-  
tipapa intruso adherere nollet, Romam ad Alexandrum  
legitimum Pontificem confugit, à quo Episcopus Sabinen-  
sis constitutus & Cardinalitio Galero donatus est. In lo-  
cum ejus surrogatus est Christianus supradiçtus, quo post  
annos octodecim è vivis sublato, redux Moguntiam Con-  
radus, honorificè, & ut Angelus Dei (ut est apud Sera-  
rium) exceptus, Ecclesiam suam intestinis priorum an-  
norum bellis & seditionibus fœdè laceratam, reddidit à pa-  
ce componere & pristino fori restituere studuit, inceptâ  
etiam novi Monasterii Fabricâ. Ab Henrico V. Impe-  
ratore, instante Cœlestino Pontifice cum Saxonie, Austriæ  
& Thuringiæ Principibus, in terram sanctam contra  
Saracenos ablegatus, inde feliciter reversus, legationem  
alteram suscepit in Hungariam, ad pacandos Emericum  
& Andream Reges Hungariæ & ad mutuam gratiam  
redu-*



*reducendos, hoc quoque arduo negotio è votis confecto, in itinere Patavii moritur, postquam Ecclesie sue annis triginta octo inter difficillima tempora gloriosè & utiliter præfuisse, Anno Domini MCC. Moguntia sepultus.*

**XII. JOANNES**, *Episcopus Ratisbonensis, per Urbanum VI. Pontificem Maximum creatus, Ecclesie sue annis viginti sex præfuit, è vivis sublatus Anno Domini MCCCCIX.*

**XIII. RUPERTUS**, *Episcopus Ratisbonensis, ab anno 1457. Ecclesiam suam administravit, repentinà morte octavo Regiminis anno præventus, Ratisbona in summâ Aede honorificentissimè sepultus Anno Domini MCCCCLV.*

**XIV. JOANNES**, *Episcopus Monasteriensis, contra duos de sacrâ hac Cathedrâ contendentes, à Romano Pontifice constitutus, summo civium plausu excipitur. Sublato Schismate dum sanctè & pacificè regit, ad Archi-Episcopatum Magdeburgensem postulatur. Vir magnæ scientiæ & experientiæ, ut ait Chron. Magdeb. Antecessoris sui vestigiis in reformatione morum magno zelo insistens, Synodum Provinciam celebravit, prædonibus Diocesim, expugnatis variis arcibus, reis vel*  
\*  
*carcere*



*carcere vel capite multatis, purgavit: Lupanar à dissolutis civibus erectum, evertit: variis prædiis redivitibusque auxit Ecclesiam, cui cum annis undecim præfuisset, sanctissime obiit Anno MCCCCLXXVII. laudatus in Epitaphio: Virtutum cultor, Pacis Dux, criminis ultor.*

**XV. ROBERTUS, vel RUPERTUS, Episcopus** *Argentiniensis, Anno 1449. electus, & summis honoribus ac splendido Ducum, Comitum & Baronum cœtu in Basilicam introductus & consecratus, stabilitâ inter cives vicinosque concordia, ararium Episcopatus cum omni pretiosâ suppellectile expoliatum, summâ frugalitate, quâ in victu vestituque utebatur, restituit & auxit. Concionem in ade summa festis Dominicisque diebus habendam fundavit, vocato ad hoc munus Joanne Geslero de Kaiserberg, celeberrimo eâ atate Prædicatore: Campanarum pulsum in memoriam Passionis Dominice solâ feriâ sextâ fieri solitum, ut quotidie fieret, concessâ peccatorum veniam ordinavit. Dum peste grassante Argentinâ recessissent Canonici, ipse contempto periculo, ne cultus divinus negligereetur, Cantoris vices in Choro supplevit, quotidiana horarum Canoniarum recitationi, peculiare preces pro singulari sua devotione addere solitus. Obiit Anno Domini MCCCCLXXVIII.*

**XVI RU-**





**XVI RUPERTUS**, *Archi-Episcopus Coloniensis*, majori concordia ac desiderio à Canonicis totiusque Nobilitatis Senatu electus, quam subsequentibus annis ab iisdem cultus & amatus fuit. Etsi enim Princeps esset animi ingeniique virtute & præcellentia clarissimus, & pro Diocesis suæ utilitate plurimum laboraret, orta tamen inter ipsum & Capitulum similitates, gravissimarum turbarum occasio fuerunt, Carolo Burgundie Duce pro Ruperto, Hermanno Hassie Landgravio pro Capitulo pugnantibus. Hinc inquieta & difficillima optimo Præsuli administratio, quam Anno Domini MCCCCLXXX. una cum vita deposuit.

**XVII. ALBERTUS**, *Episcopus Argentiniensis*, anno 1478. electus, inter primas curas habuit liberare Ecclesiam suam, ære alieno pressam, & oppignoratas creditoribus arces & oppida redimere, quod successu felici præstitit. Tabernas, Episcoporum Argentiniensium Sedem, Splendidis aedificiis novaque Ecclesiam Collegiatam ornatam novis propugnaculis munivit. Sacram suppellectilem & ornamenta Episcopalia, præteritorum temporum injuriam jam à centum annis deperdita, magno sumptu restituit. Varios abusos in dedicationibus templorum fieri solitos abrogavit. Rei, antequam ad supplicium ducerentur, ut ritè confessi, Ss. Eucharistiam petentes reciperent renitente licet Senatu ordinavit.



*navit. In vigiliis Feforum B. Mariae Virginis pro fuo in Magnam Matrem affectu in pane & aqua jejunare folitus. Dum Diocefin fuam vifitat, morbo correptus piiffimè expiravit Anno Domini MDVI.*

**XVIII. RUPERTUS**, *ex Cantore Ecclefiae Metropolitanæ Moguntinae, Ratisponenfis Epifcopus eligitur Anno 1492. Beatiffima Virgini magnâ devotione addictus, duo ejusdem Fefta, Vifitationis nimirum & Immaculatae Conceptionis per Diocefin fuam celebranda inftituit. Fato fuo devotè & religiofè functus, & in Ecclefia Cathedrali funebri pompa fepultus, Anno Domini MDVII.*

**XIX. GEORGIUS**, *ex Praepofito Moguntinenfis Ecclefiae, Epifcopus Spirenfis, ab humanitate, amore pacis & clementiâ in fubditos laudatiffimus, Cafttrum Madenburg cum adjacente territorio Ecclefiae fuæ acquifivit, hoc & plures arces tumultuantium rusticorum furore dirutas, fuæ are reparavit: Arcem Udenheim, quæ hodie Philippopolis eft, politiori ampliorique ornatu adhibito extruxit, ibidemque fibi & Succelforibus fuis Sedem elegit: Mortuus anno Domini MDXXIX. poft fedecim Regiminis annos, in Cathedrali Spirenfi fepultus.*

**XX. PHILIPPUS**, *pro Ruperto Fratrem fuo, ob atatis teneritudinem tanto oneri ferendo adhuc impari, electus*



*electus Episcopus Frisingensis Anno 1499. infelicissimis ob-  
res in Ecclesia & Imperio turbatas temporibus : Obiit anno  
Domini MDXLI.*

**XXI. HENRICUS**, *Ecclesiarum Argentinensis,  
Aquisgranensis, & Etvacensis Præpositus, & Canonicus Colo-  
niensis, à Reinhardo Episcopo Wormatiensi, Coadjutor assum-  
ptus eidem in Episcopatu successit anno 1533. eximiâ vir-  
tute, justitiæ & clementiæ laude, summâ item sapientiâ &  
humanitate præditus, postquam jam anno 1524. ad Episco-  
patûs Ultrajectini gubernationem unanimi totius Cleri con-  
sensu vocatus esset. In utraq; sede sua, variâ fortunâ,  
& intestinis tumultibus jactatus, adversâ etiam valetudi-  
ne fractus, Ultrajectinæ Ecclesiæ, quam labantem sustentare  
non poterat, administrationem resignans, Wormatiam con-  
cessit, arcêsque & oppida Episcopalia à rusticis sevientibus  
miserè vastata reparavit. Anno 1542. ad Frisingensem  
quoque Cathedram electus, utrique Ecclesiæ sanctè & utili-  
ter præfuit, Anno Domini MDLII. vitâ functus.*

**XXII. ERNESTUS**, *Passaviensis primùm Episco-  
pus designatus, ac postea ad Archi-Episcopatum Salisburgen-  
sem postulatus : Primam Adolescentiam sub optimis Ma-  
gistris, litterarum studiis eo successu impendit, ut in seve-  
rioribus humanioribusque disciplinis vix in Germania ha-  
beret*



bèret Superiorem. Ecclesias, quas rexit, partim ere alieno liberavit, partim opibus redditibusque maximis auxit, Princeps laboriosissimus, & suorum saluti tantâ sollicitudine diu noctuque intentus, ut pleraque ad gubernationem subditorum pertinentia, non ministrorum sed suâmet operâ ageret, suâ manu expediret. Post administratas summâ tranquillitate, sine exactionibus & oneribus Provincias sibi commissas, placidissimè expiravit Anno MDLX.

**XXIII PHILIPPUS**, *Guilielmi & Renate Lotharingica Filius, Ratisbonensis Episcopus, & à Clemente VIII. anno 1596. S. R. E. Cardinalis creatus, Vaticani Senatûs insignia Festo Purificatae Virginis in Aede D. Michaëlis Monachii, à Serenissimo Parente recens magnificè extructâ, è Legati Apostolici manibus accepit. In eâdem Ecclesiâ, dum solenni ritu consecraretur, per horam integram de templis Deo dicandis & exornandis, magno omnium plausu & solatio pro concione dixit: ob morum innocentiam & suavitatem passim Angelus appellatus. Prematuro fato abreptus est Anno Domini MDXCVII. Monachii in templo D. Virginis, Majorum suorum Mausoleo illatus.*

**XXIV. ERNESTUS**, *Anno 1566. electus Episcopus Frisingensis, Hildesiensis. 1573. & anno 1581. Leodiensis, eodem anno Aquisgranenses haereticos, in Catholicum Magistratum*



fratum & Legatos Casareos tumultuantes, obsessâ urbe repressit. Hoc Pastoralis zelo & in tuendâ civitâ Religione constantia, tantam de se spem existimationemque in Germania excitavit, ut Metropolitanum Capitulum Coloniense omnem conservandi ab interitu Archi-Episcopatus fiduciam in unius Ernesti virtute collocaret. Quare Gebhardo Truchsessio in haresin & sacrilegas nuptias prolapsa, & auctoritate Sedis Apostolica exauthorato, unanimi consensu Ernestus eligitur, electus verò tam multa præclare disseruit de Archi-Episcopatus restauratione, de perpetuandâ cum Urbico Senatu amicitia, de Religione ex norma Concilii Tridentini profitenda, ut conceptam de futura administrationis equitate, sapientia, & felicitate expectationem summopere auget. Nec sefellit eventus spes omnium. Nam ingenti Paterni Ducatus sumptu, Ferdinando Fratre Duce, armatum hostem urbibus & propugnaculis exuit, & continuato per plures annos sacro pro aris focisque bello, Gebhardum cum auxiliaribus suis ita contrivit, ut relicto bonæ causæ triumpho, exul & profugus tandem inter externos perierit. Dum hac Ernestus non sine vitæ discrimine, per conductos etiam sicarios neci destinatus, fortiter feliciterque agit, ad vacantem tunc fortè Cathedram Monasteriensem iniquissimis illis temporibus simili fermè periculo expositam, concordibus



cordibus Eligentium votis evocatur Anno 1585. magno sane Ecclesie bono, quae Episcopis tunc egebat, qui ad arcendas inhiantium sacris possessionibus insidias, non pastorali solum Pado, sed ferrea pietate armati gubernarent. Pacem, quam ditionibus suis redditam Pacificus Princeps crediderat, abrumpunt partium Truchessiarum affecla anno 1586. novo bello illato, quod tamen Farnesii Ducis, Belgium Catholicum tunc moderantis opera, cum ingenti perduellium clade eodem Successu prosperè confectum est. Anno 1494. in Comitibus Ratisbonensibus à Rudolpho Imperatore Electoratus Coloniensis insignis inauguratus est, ubi quanto studio, quanto animi ardore & zelo Catholicae Religionis causam defendendam suscepisset, suaque auctoritate & gratia procurasset, ut Catholicorum Principum concordia, & Ecclesiastici Ordinis jus & dignitas conservaretur, laudat in litteris ad Clementem VIII. Pontificem datis, praeter alios Nuntios Apostolicos Cardinalis Madrutius, Pontificius à latere Legatus, & Clemens ipse gratulatur. Pari subinde studio lustrandis ordinandisque Diocesis suis, eradicandis errorum zizaniis, restaurande pristinae pietati, & sacrorum antiquorum usui primævo flori restituendo incubuit, non laboribus indefessis, non curis vigiliisque



liisq; sed morti demum succumbens Anno MDCXII. Princeps verè magnus & quatuor Episcopatum, Coloniensis maximè ab impendente jamjam exitio Conservator, in Metropolitana Coloniensi ante Ss. Tres Reges sepultus.

XXV. FERDINANDUS, Philippi Cardinalis Germanus Frater, Praepositus primo Berchtolsgadensis, Anno 1612. Archi-Episcopus & Elector Coloniensis, postea Episcopus Leodiensis, Monasteriensis, Paderbornensis, & Hildesiensis, tot unus Episcopatibus gubernandis par, & solidà pietate, & insigni scientiâ, cujus publica & gloriosa specimina in Universitate Ingolstadiensi dederat, & singulari in sacris & politicis regendi dexteritate ac peritiâ. Dicto anno Francofurti ad Moenum elegit Romanorum Imperatorem Mathiam, & anno 1619. Ferdinandum II. Austriacos. Pluribus Imperii Comitibus Ratisbona & Mulhemii interfuit, difficillimarum inter Principes causarum non semel electus arbiter. Suecorum Rege victoriosum & pradabundum exercitum per Germaniam magnâ ex parte subactam circumducente, Bonnâ Coloniâ se recepit, suâq; prudentiâ & auctoritate effecit, ut Archi-Episcopatus Coloniensis ab irruptionibus hostilibus immunis conservaretur. Provincias  
\* Electo-



*Electoratûs sui Westphalicas numeratis in Pacificatione Pra-  
genſi 50000. Imperialibus, Haſſico Praſidio evacuatas recupe-  
ravit. In Tractatibus Goſlarienſibus & Brunſvicenſibus no-  
tabilem Episcopatus Hildeſienſis à Ducibus Luneburgi &  
Brunſvici ultra ſaeculum poſſeſſam, pro dictâ Eccleſiâ rece-  
pit. Urbem Leodiensem bis rebellem multatis auctoribus  
domuit. Executorios Pacis Tractatus Norimbergæ confecit.  
Anno demum MDCL. de Eccleſiis ſibi concreditis, de Impe-  
rio & Fide Orthodoxâ optimè meritus deceſſit.*

### XXVI. ALBERTUS SIGISMUNDUS,

*Anno 1639. electus Episcopus Friſingenſis, & anno 1668. Ra-  
tiſbonenſis, utriq; Episcopatus glorioſè præfuit uſq; ad annum  
ætatis ſexageſimum ſecundum, anno MDCLXXXV. quo  
magno ſui deſiderio relicto Princeps Religioſiſſimus è vivis  
deceſſit.*


### XXVII. MAXIMILIANUS HENRICUS,

*Patruo ſuo Ferdinando in Archi-Episcopatu & Electoratu Co-  
lonienſi, Episcopatus Leodiensî & Hildeſienſi, jam ante Co-  
adjutor electus ſucceſſit anno 1650. poſt exactos octo & tri-  
ginta Felicis Regiminis annos obiit anno MDCLXXXVIII.*

### XXVIII. LUDOVICUS ANTONIUS, An-

*no 1685. Inchyti Equeſtris Teutonici Ordinis Supremus Ma-  
giſter, Archi-Episcopi & Electoris Moguntini Coadjutor Anno  
1691.*





1691. Eodemq; anno Praepositus Eruacensis, dum anno 1694. Episcopus Wormatiensis die 3. Januarii, & 21. Aprilis Leodiensis eligitur, paucis interjectis diebus, 4. Maji in floride aetatis anno trigesimo quarto extinguitur.

**XXIX. JOSEPHUS CLEMENS**, Anno 1685. electus Episcopus Frisingensis & Ratisbonensis, Anno 1688. melioribus suffragantium votis contra factionem emulam renuntiatus Archi-Episcopus & Elector Coloniensis, ab Innocentio XI. Romano Pontifice confirmatus, tum Hildesienfis & Leodiensis Episcopus. Anno aetatis quinquagesimo tertio pi-entissimè obiit anno MDCCXXII.

Horum Gloriosissimorum Principum, qui proximè vixerunt, sequentiumq; qui vivunt adhuc & feliciter imperant, virtutes & merita, cum in recenti adhuc perennent memoriâ, & ab Ecclesiâ, Romano Imperio, Subditisq; tantorum Praesulum Paternâ Gubernatione gaudentibus summa omnium gratulatione & solatio suspiciantur, referre non ausus est Scriptoris parum facundi calamus, dum nunquam assecuturum se stylo tenui advertit praeconia illa, quibus Celsissima Eorum Nomina uno omnium ore & affectu ad astra extolluntur.

**XXX. FRANCISCUS LUDOVICUS**, Episcopus primùm Vratislaviensis Anno 1683. Anno verò  
\* 2 1694



1694. *Præpositus Elvacensis, Episcopus Wormatiensis, & In-*  
*chyti Equestris Teutonici Ordinis Supremus Magister. Anno*  
*1710. Archi-Episcopi & Electoris Moguntini Coadjutor. Anno*  
*1716. Archi-Episcopus & Elector Trevirensis, magno Reipub-*  
*licæ Christianæ & Ecclesiarum suarum bono vivit & pro-*  
*sperè gubernat.*

**XXXI. ALEXANDER SIGISMUNDUS,**  
*Augustana Ecclesiæ, cujus Anno 1681. Coadjutor electus fue-*  
*rat, Gubernationem Episcopus adit Anno 1690. Calendis Apri-*  
*lis, eandemq; hodieum superstes in Annum trigesimum*  
*quintum feliciter regit.*

**XXXII. PHILIPPUS MAURITIUS,** *ele-*  
*ctus Episcopus Monasteriensis, cheu! in flore atatis cecidit*  
*& præmature funere extinctus, conceptas de maximâ ejus*  
*indole, Heroicisq; virtutibus spes cum communi omnium*  
*luctu abruptit anno MDCCXIX.*

**XXXIII. CLEMENS AUGUSTUS,** *Archi-*  
*Episcopus & Elector Coloniensis Anno 1723. Episcopus Mona-*  
*steriensis & Paderbornensis Anno 1719. Hildesiensis verò*  
*1724. electus, præsentem, quem vivimus, annum illustri*  
*avite virtutis exemplo celebrem fecit, quando à Reveren-*  
*dissimo & Celsissimo Principe Joanne Francisco Episcopo Fri-*  
*singensi, Sacerdos initiatus, primam Deo Hostiam in tem-*  
*plo*



*plo S. Michaëlis Monachii litavit & tenerrimo pietatis sensu Serenissimos Parentes, totamq; Inchtam Domum Divino Epulo suis Ipse sacratissimis manibus refecit, confluyente ad sanctum spectaculum cum flore Nobilitatis universo populo, & inter dulces lachrymas tanto Præsuli applaudente.*

**XXXIV. JOANNES THEODORUS**, electus Episcopus Ratisbonensis 29. Julii 1719. à Sede Apostolicâ confirmatus 25. Septembris 1725. Coadjutor Frisingensis electus 19. Novembris 1723.

*Hi Germani Fratres, Illi Majores Tui sunt Reverendissime & Serenissime Princeps THEODORE, cum quibus non Sanguis modò, & Augusta Originis nobilissima antiquitas, sed & virtus & Sanctitas & sacrarum dignitatum splendor Tibi ita communis est, ut in Te reviviscere illi, Tu in illis præmonstratus esse videaris. Hæc Serenissima Domûs Tue gloriosa vel in terris immortalitas est, tam longævo prætorum Saculorum cursu, ad militantis Ecclesie incrementum & tutelam conservata, non desitura unquam, sed cum fine temporum cœlestes in beatâ aternitate triumphos auspatura. Vive igitur in sacro Bavaria Ecclesiastica Pantheo, Antistes Clementissime, Præsulumq; Majorum Tuorum, quorum merita æquabis, annos & ætatem diu & incolimis in floridâ olim senectâ grandævus ut superes & excedas precor.*



*Autho-*



*Authores, ex quibus Series Antistitum excerpta est, sunt sequentes: Tabula Genealogica Albizii, Lairizenii, Hubneri. Liber cui tit: Fortitudo Leonina in utrâque fortunâ. Exercitatio Genealogica novissima Kœleri de Familiâ Carolingicâ. Mabillon: Annales Benedictini. Adeltreiter annal. Boici. Meibon: Scriptores rer. German. Gualteris Chronicon Eccles. polit. Wimpelingi Catalogus Episcop. Argentinenf. Eifengreinii Chron. spirense. Pagi Critica in Baron. Acta Ss. Papenbroch. Gelenius de magnitudine Colon. Chronicon MS. Ratisbon. Serarius de rebus Mogunt: Anonymi Lexicon Histor. Imhof notitia Procerum Imperii.*



**PRÆ.**



## PRÆFATIO.



I, ut maximè fas, totiusque litterati orbis expectatione & desiderio summopere dignum foret, in publicam lucem non prodirent, nisi quæ ab hominibus eruditis & in eo potissimum, quod suscipiunt, scribendi genere versatis elaborata, noviterque inventa sint, non profectò ita libris omnia referissent, quorum intolerabilis & infinita jam multitudo propter eorum est multitudinem, qui scripserunt, eademque à multis jam ante dicta dixerunt; aded, ut non minoris hodie artificii sit & scientiæ, scriptores dijudicare, quàm disciplinam aliquam quantumvis amplam intellectu comprehendere. Neque tum ego sanè, si tam bene cum re litterariâ haberet, ullâ ratione aut viâ ad scribendum me induci passus fuisset, qui dicendi quidem cupidus, non aded tamen ineptus sum, ut in hac, quam vi-

)

vo,

vo, ætate, nova admodum invenire, aut eruditionis laudem affectare præsumam. Verum cum jam universalis ille sæculi nostri mos invaluerit, ut illiberalis omnino habeatur, qui non in aliquo saltem genere mandare litteris cogitationes suas audeat, ita quoque in hac Studiorum palæstrâ inveterata jam consuetudo ferat, ut Licentiæ gradum adipisci non liceat, nisi præviâ Disputatione inaugurali publicæ disquisitioni expositâ, quam quidem in aliis Academiis ipsi artium Magistri & Professores pro eâ, quâ pollent, eruditione & scientiâ elaborare solent, in hac verò Universitate & Juridicâ Facultate ut ipsi Candidati pro suo quisque ingenii modo, proprio tamen Marte, conficiant, moris est jam recepti: Igitur ipsum id dum hic agere instituo, cum rem neque novam neque inauditam aggrediar, more & exemplo aliorum ad difficilem hanc provinciam suscipiendam redactus, tantò facilius veniam à te. Bone Lector, me impetraturum confido, tametsi fortè comperies, nec disponere me potuisse cogitationes meas, nec illustrare, nec delectatione ullâ Te allicere. Certè non sum nescius, fore, ut hic meus labor & Academicus qualiscunque conatus in varias reprehensiones incurrat; Nam quibusdam totum hoc displicet doctrinæ genus, quod pertractandum suscepi. Quidam autem id non tam reprehendunt, sed, quæ summis ingeniis exquisitâque doctrinâ viri multi jam sparserint, ea denuò in Thesum & Exercitationis modum contrahenda esse non arbitrantur. Erunt etiam, qui methodum, perspicuitatem, stylique elegantiam in argumento tam nobili desiderent. Postremò aliquos & eos quidem non ineruditos futuros suspicor, qui dicant, malle se, ut hypotheses & quæstiones speciales subinde explanatæ, & præcipuè in tractatu de summo Imperio, ubi finita est, illic inchoata fuisset Disseratio: Contra quos omnes, ut instituti ratio simul patefiat, dicendum breviter existimo. Quanquam hujus Disciplinæ quidem vituperatoribus satis responsum est ipso Cap. 3. Cui præterea id addendum censui. Nimirum dum præstantiam & utilitatem disciplinæ Juris Naturæ evincere allaboro, non eam mihi sedere animi sententiam absurdam sanè, quam Author *des unpartheyischen Urtheils* (quem Moserum ajunt) modernis quibusdam hujus disciplinæ cultoribus (jure an injuriâ, ipsi videant, quorum interest) imputat *parte 1. num. 43.* in judicio, quod fert. *ad Sam. Stryckii usum modernum pandectarum,*  
ubi




ubi illos pro merito exagitat, qui ex principiis generalissimis de naturali honesto, justo & decoro, causas & controversias civiles omnes decidi, & posthabitis etiam legibus civilibus definiri posse existimant; ab horum enim insulsâ & perniciosâ opinione quantum sim alienus, & quàm arctè judicem in judicando legibus civitatis adstrictum, ipsique neutiquam concessum esse credam, ut æquitatem cerebrinam, id est, à semet ipso excogitatam sectetur, protinus comperiet, qui ex Corollariis sub finem annexis quinquagesimum cum subsequenti introspicere voluerit, ubi sententiam meam paucis, pro modo positionis, declaratam inveniet. Nunc, ut reliquis quoque respondeam: Qui ea, quæ à viris exquisitæ doctrinæ plenâ manu jam tractata sint, denuò in compendio referenda non esse autumant, Illorum equidem justa fortasse est reprehensio; sed illos ferit tantùm, qui lectoris erudiendi causâ ad scribendum accedunt, & auctoritatem ambiunt; mihi verò, qui privato discendi studio ista congesti, eo solum fine, ut disputationi campum aperirem, minimè succensendum confido, tametsi aliorum vestigia premam, messe jam factâ spicas legere contentus: quanquam nec id infrequens est in orbe litterato, ut plures idem argumentum occupent, maximè, si tanta efflorescat rerum varietas, ut dici ab uno queat, quod ab altero dictum non sit, saltem ratio modusque tractandi diversus novam quoque aut jucunditatem aut utilitatem pariat. Qui porrò methodum, perspicuitatem & styli venustatem desiderant, ad peritos in arte magistros, non ad Tyrones & discipulos, qualem ego profiteor, se convertant. Denique ut & illis satisfiat, qui ad hypotheses & controversias specialiores deventum mallent: hos omnium puto iniquissimos, dum id, quod virium, certè instituti limites transgreditur, à me postulant; non enim plena vela laxare & altum petere, sed littus saltem legere animus fuit: Scilicet id solum propositum erat, ut principia & fundamenta jacerem generalissima, in quibus controversiæ omnes huc pertinentes veluti concentrentur, & queis via postmodum sterneretur ad specialia, quæ aded aliis, me acutioribus, elaboranda, ipsamque, quam cepi, telam politici Minervæ pertexendam relinquo: Quo sanè fiet, ut sanioris politiæ, elegantiorisque litteraturæ gloriam, nostræ quoque religionis Academiæ sibi communem & propriam, ulterius conservent; quod uti optandum semper fuit, ita tantò certius sperari poterit

terit, ubi semel Panicus ille timor, & maximè injuriosus error evan-  
 rit, quo Nostris passim creditur denegata omnis quantumvis honesta in  
 hoc argumento sentiendi judicandique libertas, quam tamen utique  
 concessam esse, vel sola hæc præsens exercitatio mea cum annexis  
 parergis tam liquidò evincet, opinor, ut visu eum esse oporteat admo-  
 dum hebetato & oculis pessimè lippos inunctis, qui hujus rei veri-  
 tatem perspicere non possit: Quod unicum igitur ubi præstitum à me  
 fuerit, etsi forte de reliquo mihi nequaquam satis facultatis pro meo  
 animo, Tuâque, Bone Lector, expectatione fuerit, præcipuum ta-  
 men intentionis meæ scopum me attigisse, & secundis navigasse  
 ventis, existimationique quantulæcunque meæ velifica-  
 tum me putabo.



**CAPUT**





# CAPUT I.

## De Jure ejusque varia significatione.

I. **J**uris vox obscura est & variè sumitur, primò pro attributo actionis. 2. 2dò pro attributo personæ sive qualitate morali. 3. Hujus qualitatis divisio in facultatem & aptitudinem, & utriusque definitio & differentia. 4. Usus hujus divisionis à Grotio quæsitus rejicitur. 5. Varia nota juris perfecti & imperfecti proponuntur. 6. In tertiâ significatione jus pro lege sumitur.

§. I. **C**um juris vox perquam lata sit & homonyma, non abs re erit ante omnia id curare, ne per varias ejusdem significatione præposterè acceptas propositum argumentum per se non satis clarum novis tenebris involvatur: Adeoque ne quem fortè hîc ambiguitas fallat, discernenda sunt, quæ promiscuè habita causam erroris afferent. Præeuntem habemus Hugonem Grotium, magnum in arte distinguendi, obscurisque lucem affundendi magistrum, cujus adeò

A vesti-

\* *De Jure  
Belli & pa-  
cis lib. 1. c.  
1. §. 3.*

vestigia rectè legemus. Accipit is \* ambiguum hoc juris vocabulum in ordine ad jurisprudentiam universalem, de quâ nobis quoque sermonem hic esse volumus, trifariam potissimum: Primo pro eo quod *justum* est; dicitur autem aliquid justum dupliciter; *primo* in sensu *ajente* stylo Grotii, id quod à legibus præcipitur: *2do* in sensu *negante*, ut justum dicatur quod injustum non est, sive quod est licitum, & legibus non quidem præcipitur, nec tamen etiam prohibetur; omnis enim de jure quæstio, ex sententia Cocceji \*, eò refertur quid licitum sit? idque jus dicimus, & homines potentiis agendi à naturâ instructi licitè agunt quicquid possunt, donec aliquis, qui prohibere rectè potest, aliquid agi prohibeat; quo illud tum illicitum fit, & injustum dicitur. At verò justum utroque hoc modo acceptum non satis distinguitur à bono & honesto, neque etiam à decoro; omne enim honestum sive bonum, omnèque decorum legibus non permittitur tantùm, verùm etiam partim suadetur, partim præcipitur; ni ergo justî definitionem angustioribus terminis circumscribamus, conceptus honesti, justî & decori prorsus confundantur necesse erit, quæ tamen confusio hoc in argumento versanti sollicitè vitanda est. Dico igitur justum sive actionem justam pressè & propriè eam esse, quæ ex proæresi applicatur ad personam, cui illa debetur, sicque justitia erit recta applicatio actionum ad personam: differt autem hac ratione justum ab honesto in eo potissimum, quod honestas sive bonitas actionum simpliciter notet convenientiam

\* *Ad Jus  
Gent. po-  
sit. 1.*

tiam cum lege, justitia autem præterea involvat respectum ad eos, in quos actio exercetur; Inde sequitur justitiam (humanam scilicet) extra societatem actu exerceri non posse, sed eam semper supponere duas personas: quod secus se habet in honesto; etsi enim unus & solus esset homo, is nihilominus, inordinatos affectus compescendo, contemplando naturæ Authorem piè ageret & honestè, justitiam tamen in propriâ significatione his & similibus actibus, qui proximum sive alium hominem non respiciunt, non exerceret. Decorum autem etsi id quoque supponat plures personas, in eo tamen differt à justo, quod ad decorum nemo cogi possit, & si cogatur, amplius decorum non sit, justum autem semper involvat jus cogendi in alio homine. Atque ea, quæ hîc annotavimus, in doctrinâ juris naturæ multiplicem usum præbent, qui ex parte eo in loco clarius apparebit, ubi de principio cognoscendæ legis naturalis pluribus differetur. Hastenus de primâ juris significatione: quanquam ea magis pertineat ad justum in concreto; non enim dico actio est jus, sed actio est justa.

2. Altera juris significatio ad personam refertur & personæ competit, quo sensu est qualitas moralis personæ competens ad aliquid justè habendum vel agendum: Personæ competit hoc jus, etiamsi rem interdum sequatur, ut servitutes prædiorum quæ jura realia dicuntur comparatione factâ ad alia merè personalia: non quia non ipsa quoque personæ competant,

A 2

petant,

• *Lib. de  
Duabus  
naturis.*

petant, sed quia non alii competunt, quàm qui rem certam habeat. Personam autem definit Boëtius, \*, quod sit naturæ rationalis individua substantia: rectè quidem, sed in præsentì argumento persona denotat hominem tantùm consideratum cum suo statu, secundum cujus varietatem ipsius jus quoque variat: Huc ergo non spectat Jus Dei & Angelorum, cujus tractationem utpote altioris indaginis, relinquemus Theologis.

3. Qualitas hæc moralis vel est perfecta & facultas sive jus strictè dictum vel est minus perfecta & aptitudo Grotio dicitur. Sub jure strictè dicto continentur potestas vel in personas, eaque tum in se, quæ libertas dicitur, & à Romanis Juris Consultis facultatis nomine definitur: tum in alios, ut patria, Dominica; vel in res ut dominium, creditum &c. Facultas hæc rursus duplex est, vulgaris scilicet, quæ uni particulari, vel eminent quæ communitati in partes competit, de quibus alibi. Aptitudo ea dicitur, secundum quam idonei sumus ad recipiendum quid ab altero, non quidem ut ab invito id possit extorqueri, nisi forte subigente necessitate, sed ita tamen, ut alter idem ex virtute aliqua morali præstare teneatur. \* Ut clariùs dicam, Jus perfectum sive facultas est, cujus vi alterum, qui obligationi suæ non vult satisfacere, cogere possum ad implendum debitum: Jus vero imperfectum sive aptitudo contra se habet, & illius, qui obligationem huic juri respondentem possidet, pudori ac conscientiae saltem relin-

*Pufend. de  
Jure Nat.  
& Gent.  
l. 1. c. 1. §.  
20.*

relinquitur ejus adimpletio. Iftud autem remedium coactivum inter pares, qui in ftatu naturali verfantur, bellum vocatur; inter eos verò, qui in ftatu civili degunt, vel pœna vel actio.

4. Ufum hujus divifionis in eo potiffimùm quæ-  
rere videtur Grotius \*, quod facultatem respiciat <sup>\* *Ibid. §. 8.*</sup>  
justitia expletrix, aptitudinem justitia attributrix;  
porrò illam pro commutativâ, hanc verò pro distri-  
butivâ Aristotelis assumit: Nos quanquam egre-  
gium juris perfecti & imperfecti ufum esse exiftime-  
mus, uti è variis controversiis clarius apparet, ma-  
ximè ubi disputatur, cujus juris intuitu & an ob de-  
negata ab alio Principe officia humanitatis se læden-  
tem Princeps bello laceffere jure possit? neutiquam  
tamen Aristotelicam Justitiæ divifionem tam utilem  
támque necessariam esse judicamus, ut Jurispruden-  
tia eâdem commodè carere nequeat; hinc & illam  
præterire malumus quàm vel in proportionum ma-  
teriam intricatiffimam utique & ad torquenda inge-  
nia aptiffimam nos immergere, ad quam solam peni-  
tiùs expediendam Commentario opus foret.

5. Quid fit Jus perfectum, quid imperfectum,  
perfectis, quænam utriusque Juris sint notæ, videamus.  
Varias illas pro diversitate societatum consti-  
tuit Thomafius \* Est verò humana societas conjunctio <sup>\* *Instit. Ju-  
rispr. div.  
l. 1. c. 1. §.  
108.*</sup>  
plurium ejusdem essentia personarum ad certum fi-  
nem; eaque vel æqualis, quæ intercedit inter tales,  
quorum neuter alterius imperio est subjectus; vel in-

A 3

æqualis

æqualis inter imperantes & parentes. Societas, quam inter Deum & homines constituunt & propriè inæqualem vocant, absque dubio tam est inæqualis, ut illam societatis nomine insignire planè non audeam; Quodsi enim teste Aristotele inter Principem & subditos nulla est amicitia, quia amicitia vel est inter pares, vel pares efficit, quantò magis inter Deum & homines nulla propriè erit societas, quæ semper aliqualem saltem inter socios inducit æqualitatem, & juris communionem. In societate æquali viventium jus, quod libertatem naturalem comitatur, quòdque ex pactis oritur, & in genere omne jus excepto eo, quod ad officia humanitatis tendit, perfectum est: In societate inæquali jus superioris in inferiores semper perfectum est etiam respectu præstandorum officiorum humanitatis, poterit enim & horum respectu subditos punire Princeps: Contra verò Jus inferiorum in superiores *quæ tales*, etiamsi ex pacto ortum sit, regulariter est imperfectum. Dixi *quæ tales*, ne quis opponat, dari quòdque uxori, liberis & servis actionem adversus Patremfamilias; datur enim tum actio adversus illos, quæ sunt æquales, hoc est quatenus subsunt eidem principi, nam & tum Princeps concedendo actionem quasi tollit inæqualitatem. Dixi porrò *regulariter*, nam extra ordinem Princeps subditis concedit actionem etiam adversus se; quamvis & hæ actiones sint impropriè tales, utpote destitutæ remedio coactionis, hæc ita Thom: \*, quæ plenius exequenda videbantur tanquam ad planiora totius instituti intellectum necessaria.

\* 108. §  
§ 99.

6. In tertiâ significatione Jus dicitur regula boni & æqui, sive ut Grotius vult, regula actuum moralium obligans ad id quod rectum est: quo sensu pro lege usurpatur, omniumque sermonibus percrebuit, quanquam vis ejus & potestas non tam perfecta sit omnibus, de quo pluribus infra. Ex tot Juris significatibus nullum excipio, qui non pertineat ad Jurisprudentiam universalem, quippe quæ non solum consulit, quomodo actiones secundum normam boni & æqui sint instituendæ, ut evadant justæ, & de institutis an justæ sint vel injustæ, judicat; sed etiam exponit naturam facultatis unicuique jure competentis & suppeditat remedia eandem tuendi & conservandi: denique tam ferendarum, quàm exponendarum applicandarumque legum rationem communis hæc nos docet Jurisprudentia.

## CAPUT II.

### De divisione juris in ordine ad Jurisprudentiam universalem.

1. **D**E Jure quod dicitur publicum à formâ & causâ efficiente. 2. Ab objecto & fine, quod duplex est, universale & particulare. 3. Utriusque differentia à jure privato. 4. Itémque à Jure gentium 5. & politicâ.

1. **S**icuti Jus in significatione legis sumptum est norma, quæ componit hominum mores ad justitiam.

\* Pompius  
ad Instit.  
tit. de J. &  
J. S. 4

justitiam, ita illa pars Juris quæ populorum officia potestatemque describit, seu statum publicum in quavis republicâ dirigit, Jus publicum vocatur. Publicum autem non uno semper eodémque modo accipitur \*, sæpè enim dicitur non à materiâ & fine sed à formâ & causâ efficiente, non quod utilitate publicum est, sed authoritate. Sic accipitur *L. 8. ff. de tut. L. 29. ff. de test.* multisque aliis in locis. Sic etiam dicitur retentiõ falcidiæ jure publico competere, item usucapio jure publico contingere, id est eo jure, quod publicè seu publicâ authoritate constitutum est; eodem sensu & testamenti factio juris publici esse dicitur, nimirum quia à lege est, seu publicâ legis authoritate concessa: atque hæc omnia ad differentiam ejus Juris, quod cuique privatim acquiritur pactis & conventionibus parem cum legibus authoritatem non habentibus, quod Papinianus sic expressit *L. ult. ff. de suis & leg. har. Privatorum cautiones legum authoritate non censentur*: & quod passim legimus, Jus Publicum privatorum pactis mutari aut infringi non posse, nil aliud significat, quàm de eo jure aut formâ ejus juris, quod quâcunque de re publicè constitutum est, privatorum pactionibus nihil posse immutari. Deinde Jus publicum interdum etiam accipitur pro jure, quod civium omnium ejusdem civitatis commune est, ad distinctionem, ut videtur, juris singularis sive privilegii, quod certarum tantum personarum proprium est.

2. Hic



2. Hic ab objecto & fine id solum Jus publicum dicimus, quod nexum imperantium & parentum regimenque civile cujusque reipublicæ concernit, quodque ad conservationem & administrationem status politici spectat, adeoque reipublicæ qua tali proprium est, nec extra rempubl. occurrit. Hoc Jus duplicis est generis, *universale* & *particulare*: ad Jus publicum *universale* pertinet id quod docet, quid in quavis civitate Juris inter ordines unius ejusdemque reipublicæ *generaliter* pertineat; quid imperantibus, quid subjectis, mediis vel Magistratibus inter se tribuendum, quid pace belloque sit servandum. Jus publicum *particulare* est, quod statum *hujus* Civitatis e. g. Romanæ sive cujusvis Civitatis in *specie* respicit, consistens in omnibus, quæ ad regimen unius certi populi juxta suam constitutionem peculiarem referuntur.

3. Utrumque Jus publicum à privato essentialiter differt in eo, quod privatum ad singulorum in eadem Civitate viventium privatam utilitatem spectet, consistatque in singularibus civium ejusdem Imperii controversiis & negotiis à regimine publico distinctis. Differunt autem publica negotia à privatis plusquam uno modo; privata, singulorum potissimum utilitatem domesticam respiciunt, sed publica totius civitatis conservationem & securitatem; illa singulos & maxime curam rei familiaris, hæc vero totum populum universim & conjunctim sumptum ejusque regimen publicum concernunt: ibi quilibet

B

suz

suæ utilitati renuntiare potest, nemo vero publicæ: Illa etiam extra Imperium civile peragi possunt, saltem non habent necessariam cum statu civili connexionem, nam emere, permutare, alienare &c. etiam in statu naturali fieri possunt, sed hæc tantum statui Civili propria extra illum haud facile sese exerunt.

4. Ad quam Juris speciem referri debeat illud Jus, quod inter diversas civitates nec invicem, nec uni subjectas imperio intercedit, & docet, quid principes sui Juris nullaque Reipub. communiōe conjunctos sibi invicem præstare oporteat, videamus? Putem id neque ad publicum neque ad privatum ea, qua diximus significatione acceptum, referri debere; illæ enim civitates inter se consideratæ non aliter se habent, quam singuli homines in statu naturali, qui in plena libertate constituti nullius adhuc imperio se subjecerunt; cum porro Jura libertatis hominibus in hoc statu competentia nullum plane regiminis vel imperii respectum involvant, proprie nec ad publica nec ad privata referri poterunt; sed quia respubl. inter se consideratæ aliàs gentes dici solent, ideo Jus, quod inter illas intercedit, Juris gentium nomen accepit: quo ipso tamen an novum & distinctum Jus à naturæ Jure, num vero magis species ejusdem inducatur, alibi dispiciemus. Illud hic disquirendum, an & quomodo Juris publici disciplina differat à politica, cum utraque pari fere passu ambulet, & earum confusio plerisque politicis sit solennis, de quo etiam conqueritur Huberus \* & jam an-

\* De Jure  
Civ. lib. 1.  
cap. 1. §.  
14.

te

te ipsum annotavit Grotius \* dum dixit: *Se temperaf-* <sup>\*D. 7. B. 25</sup>  
*se ab his qua alterius sunt tractationis, ut qua docent, quid ex* <sup>P. in pro-</sup>  
*usu sit facere, quia ista suam artem habent specialem, politi-* <sup>168. §. 57.</sup>  
*cam, quam recte ita solam tractat Aristoteles, ut alieni nihil*  
*admisceat, contra quam fecit Bodinus, apud quem hac ars cum*  
*Juris nostri arte confunditur.*

4. Quo magis vero hæ duæ disciplinæ confundi solent, eo major cura adhibenda, ut limites utriusque exacte ponantur. Conveniunt utique in eo, quod utraque sit occupata circa civitatem, & negotia publica utrobique objectum constituent; differunt tamen, quod Jus publicum consideret civitatem sub ratione justæ, politica vero sub ratione utilis: modus itaque considerandi diversus est, quippe aliud est inquirere, an justum sit aliquid, & an salvis naturæ legibus à principe fieri possit, aliud an utile sit, hoc est an expediat vel conducat ad Reipubl. emolumentum: hoc ex regulis civilis prudentiæ, illud ex legibus naturæ dijudicabitur. Hic vero dum utile dicimus, non intelligimus illud, quod universo humano generi est utile, sed id tantum, quod civitatis vel reipubl. utilitatem concernit; alias enim iterum conceptus justæ & utilis confunderentur; nam sicuti, uti præclare Cicero \* *Quod turpe est, id nun-* <sup>\* Lib. 3. de</sup>  
*quam est utile, ne tum quidem, cum id quod esse utile putes,* <sup>Offic.</sup>  
*adipiscare: hoc enim ipsum utile putare quod turpe sit, calamitosum est: sic econtra omne quod honestum est & justum in sensu ajente, hoc est, quod legibus naturæ præcipitur, semper est utile toti scilicet humano ge-*

neri, & ad ejusdem conservationem contribuit : aliter autem res se habet in civitate vel republ. , ubi utilitatis respectus cum justo sæpius repugnat ; sic ex. gr. Imperanti non licet extraneos ad habenas reipubl. admittere , si legibus fundamentalibus contrarium caveatur , tametsi forte id expediret rationibus ipsius imperantis ; similiter licet quibusdam rebus publicis omnino conveniat unius imperio potius quam regimine paucorum, vel multitudine, publicam rem administrari, nemini tamen exinde rempublicam invadendi aut quovis modo turbandi jus nascitur. Itaque an aliquid juste fiat, perpendit Jctus, an id ipsum ex usu sit reipublicæ, politicus suggerit : politices est, actiones publicas dirigere ad felicitatem civilem, & suggerere *media quibus caute quis agere possit, cautioribus utitur consiliis, est omni ratione protectior*, ut ait Cicero \*, quæ præcepta sive potius consilia obligationem legis non habent, & nullam necessitatem inferunt ; cum e contra præcepta Juris publici partim necessitent, partim legitimam agendi facultatem tribuant. Denique in politica exercenda difficillimum est vitare non quidem fraudes apertas, quales ille ab Hetruriâ \*, sed consilia leviter ab honesto devia, quæ & Lipsius \* admittit, dum ea, quæ à virtute flectunt longius, & ad vitii confinia veniunt, juxta hujus sæculi indolem in Principe tolerat, imo quod contra tot insidiantes vix sit, ut se suosque aliter tueatur bonus Princeps, corruptiunculas & deceptiunculas (quas ego quidem non approbo) permittit hæctenus, si à bono legitimoque rege boni communis

\* Philipp.  
13. circa  
princ.

\* Machiav.  
in princ.  
\* Pol. lib.  
4. cap. 14.

nis causa contra malos usurpentur ; e contra Juris publici disciplina ab omni iniquitate & deceptione sua sponte est alienissima, cum è fontibus non utilitatis, sed æquitatis & ipsius rationalis naturæ profluat ; quo vel solo ex capite non tantum præstantiam, sed & utilitatem imo necessitatem hujus disciplinæ erueret licet, de quo data hic occasione paucis differemus.

## CAPUT III.

### De necessitate & utilitate disciplinæ Juris naturæ.

1. **D**E inani quorundam minus præclare de hac disciplina sentientium opinione. 2. Juri natura tanquam fundamento omnia jura innituntur, & primo Jus Romanorum. 3. Jus publicum quoque hodiernum Imperii Romano Germanici. 4. Maxime vero ad finiendas principum controversias necessaria est hac disciplina.

1. **U**tilitatem, præstantiam & necessitatem disciplinæ ejus, quæ sub generali Juris naturæ vocabulo Jus gentium & publicum universale comprehendit, quamque tot viri undequaque doctissimi summis ingenii viribus tractandam susceperunt, in dubium vocare, mihi religio est. Neque tamen talium virorum autoritate moveri potius quis debet, quam rationibus, quæ quidem mihi tam perspicuæ videntur, ut mirari liceat, extare adhuc non  
B 3
paucos,

paucos, qui eas vel penitus ignorantes vel illarum pondere perquam leviter commoti, utilitatem hujus doctrinæ ancipitem, vel eam prorsus è scholis eliminandam censent. Sane arrepta diversim occasione hominum hac de re judicia provocando ipsemet comperui non deesse, qui de toto Juris naturalis argumento minus præclare sentientes, ejus tractationem tanquam inutili pulvere conspersam inter Scholasticorum nugas censere non vereantur; sed quam tandem decretoria ratione id ipsum decernant tales homines equidem percipere non potui. Qua de causa deterreri minime potui, quo minus ad edendum exiguum aliquod hujus disciplinæ specimen, ad hæc scilicet pagellas conscribendas accederem; idque eo majori suscepi fiducia, quod & in hac alma Universitate Juris naturæ & gentium curam amplissima Facultas Juridica non ita pridem reintegravit: quod præclare factum in omnibus Academicis institui debere totidem verbis inculcat Rachelius \* : *Quia in examinandis vel decidendis controversiis publicis nullius Juris major usus vel autoritas quam naturalis, ideo saltem non minori assiduitate & studio illud, quam Jus privatum excolendum est, quo enim magis quisquam in illo profecerit, hoc ad publicas privatasque causas recte dijudicandas, jurisque publici usum aptior erit, ut magna laude digni sint illi principes, qui etiam Jus naturale in suis academiis doceri instituerunt.*

\* In intro-  
duct. ad  
Jus publ.  
cap. 6. pag.  
28.

2. Et sane ubi omnium Jurium indolem & naturam ex hac Juris naturæ disciplina petendam esse, omnia-

omniaque jura huic tanquam fundamento inniti evicerimus, majorem ei amplius utilitatem adstruere non erit necesse. Atque ut de Jure civili Romano initium capiamus, nemo est, qui hujus Juris præstantiam & nobilitatem in dubium revocet; non aliam vero potiozem hujus rei adornant causam, quam quod non modo ex ingenita Romanis moribus probitate disciplinaque sapientum, sed è melioribus gentium aliarum institutis coactum fuerit atque compositum, ut non tam unius populi Jus existimari debeat, quam honestas ipsa naturæ, quam è Romanorum mentibus philosophia exsculpsit, scriptis tradita, & ad singulas res, personas, eventusque deducta; Hinc etsi quis Romano Imperio se excutiat, non tamen Romanis legibus se exsolverit, nisi repudiet simul honeste vivendi conditionem; hinc quisquis recta ratione utetur, & honestatis anticipationem ad usum civilis commercii deducet, per semet Romanis legibus conveniet, ut ait Gravina\*. Quod si ergo, uti omnes sponte largiuntur, structura æquifimi hujusce Juris Romani est composita ex conclusionibus Juris naturæ & scitis civilibus, quæ quidem vel sunt pura & sola ratione civili constant, vel mixta, quæ in Jure naturæ quidem fundata sunt, sed quædam additamenta civilia acceperunt, non video, quomodo ad solidam eruditionem perveniri possit, nisi naturalia à civilibus separentur, & quælibet ex propriis explicentur principiis; oportet enim omnia deducere ex rationibus adæquatis, quæ sunt vel civiles vel naturales, prout scilicet leges vel mere civiles vel

*\* In oratione  
ne de Jurisprud.*

vel è principiis naturalibus deductas diximus; illæ pe-  
tuntur ex historia civili & statu reipubl. hæ vero ex  
disciplina Juris naturæ, qua si quis satis tinctus fuerit  
& imbutus, facillime genuinum legis sensum indaga-  
re, & non modo legum Romanarum præcepta, sed  
ipfas præcipiendi rationes, consilium, prudentiam,  
ab ipsis originibus per omnem legislatorii operis pro-  
cessum illuminato jam oculo perspicere poterit & pe-  
netrare; adeoque ipsam legum *vim* comprehendet  
ac *potestatem*, quam tenere oportet, ut sciantur, non  
vero nuda earum verba, ut ait Celsus.\*

\*L. 17. ff.  
*de leg.*

3. At forte Jus publicum particulare Imperii  
nostri Romano - Germanici (in cujus utpote Juris pa-  
trii solertissima pervestigatione quin egregie sua unius-  
cujusque collocetur opera nemo est qui ambi-  
gat) totam hujus disciplinæ utilitatem ita ab-  
sorbet, ut homines omnis civilis administrationis ca-  
paces sint habendi, dummodo superficiali quodam  
studio solennia electionis & Coronationis Imperato-  
riæ, titulos & prærogativas Imperatoris, tum etiam  
Electorum & cæterorum Imperii Statuum Jura  
quædam & honores rite recensere didicerint; item-  
que Pacis Westphalicæ, quorundam Imperii Reces-  
sum & novissimæ Capitulationis Cæsareæ suprema  
& summa quædam capita in numerato habeant? Sed  
quantum abest, ut homines Juris publici nostri Ro-  
mano - Germanici scientia tam leviter tincti ad munia  
publica convolare audeant, tantum etiam abest, ut  
idipsum Jus publicum solide addisci possit neglecta  
gene-



generali doctrina Juris naturæ , cui tanquam fundamento omnes quarumcunque rerumpublicarum leges publicæ innituntur ; Nam & in omni Republica manet commune illud vinculum totius humani generis , etiam inter imperantem & subditos ; quo fit , ut illa , quæ legibus non sunt definita , ex hac disciplina sint decidenda ; sicut & legum publicarum particularium interpretatio ad Juris naturæ normam est instituenda : Ideoque frustra vel saltem absque magno compendio observantias & leges fundamentales Imperii nostri Romano - Germanici summo etiam studio evolvemus , nec de iis rectum solidumque feremus judicium , nisi antea fundamenta omnium Rerumpublicarum , nexus civilis , Jura imperantium & subditorum & alia huc spectantia è Jure naturæ deprompta animum rite præparent ad percipiendas & dijudicandas constitutiones Imperii particulares.

4. Quodsi denique Civitatum , Rerumpublicarum , Imperiorum , quæ seorsum valent , & sufficiunt sibi in summam ordinis & potestatis aliunde non pendentes , quoddam tamen corpus natura constituit , quod non jure minus regatur , quam partes singulæ , quodnam tandem Jus illud erit ? non utique civile , quod potestas civilis constituit & civibus suis promulgat , nec publicum particulare unius populi , sed Jus , quod potestas civili altior sancit , id est Deus per naturam & rationem : qui vero nullum hujus Juris usum esse dicunt , quid aliud faciunt , quam quod finiendis Regum populorumque controversiis

C

illam

illam unice accommodare velint regulam, cujus tota vis & authoritas limitibus patriæ circumscriptur, nec ad gentem exteram porrigi potest. \* Quo facto extincta sæculi experientia tot exempla principalium conventionum, pactionum, foederum, Juris naturalis ductu auspicioque perfectorum proculcare & ludibrio habere licebit; ad dedecus autem ævi non minus quam ad injuriam supremarum potestatum, quæ jure privato vel alienis legibus publicis fundamentalibus suas regi controversias nec patiuntur fere, nec pati aliquando possunt, pertinere hanc abnormem philosophiam nemo est, cui non appareat; quodsi vero ex hactenus dictis id evicimus, Jus naturæ non tantum ad regendas Principum controversias, sed & ad Jus publicum hodiernum Romani Imperii solide intelligendum, tum etiam ad leges civiles Romanorum è fontibus & originibus suis hauriendas esse necessarium, intento nostro satisfecimus; quibus vero scrupulus adhuc sedet, eos ad *Ziegleri Praef. ad Grot. Joan. Schilt. manud. ad Jurisprud. cap. 1. §. 10. Praef. de Cæro vero & person. §. 18. Bæcl. Praef. ad Grot.* aliosque passim ablegandos censeo, è quibus sibi quoque satisfuturum spondeo. Nunc ad perscrutandam hujus Juris naturam propius accedendum.



CA-

## CAPUT IV.

De norma actionum moralium  
sive de lege in genere.

1. **T**ransitus ad legem in genere. 2. Legis significationes impropria, & propria qua distinguitur à consilio & pacto. 3. Uti etiam à Jure sumpto pro facultate. 4. Legis definitio, tum de naturali actuum turpitudine & honestate. 5. Vis coactiva proprie non inest ipsi legi sed legislatori. 6. Explicatur quomodo permissio sit virtus legis. 7. Conditio actionum humanarum, ut legi subesse possint. 8. Ea pendet ab electione & arbitrii libertate, qua describitur.

I. **A**Ntequam in originem principiaque legis naturalis utpote communissimæ actionum humanarum regulæ, ad quam quilibet homo ut est animal rationale & pars magnæ illius societatis, se componere tenetur, accuratius inquiremus, prius dispicere juvabit de norma illa morali seu de lege in genere, ad quam actiones morales debent exigi, & à qua ipsam moralitatem suam sortiuntur; actiones enim hominum si citra respectum ad aliquam normam sive legem ederentur, nec liberæ nec morales essent; non magis quam actiones brutorum, quæ vago impetu & instinctu promiscuo reguntur: Quænam ergo normæ moralis seu legis in genere vis sit ac potestas paulo curatius pervestigandum, ut postea uniuscujusque legis in specie naturam eo facilius pernoscamus.

2. Legis vox non minus late extenditur, quam vocabulum Juris, si Græcorum, à quibus omnis philosophia in scholas profluxit, doctrinæ inhæreamus; Est enim apud ipsos lex nihil aliud, quam dogma vel norma, quam recte dicimus præscriptum aliquod conveniens, secundum quod actiones sunt instituendæ.

• Thom.  
tom. 6. obj.  
sel. 27.

\* Atque hoc sensu latissimo constat legem denotare præcepta doctrinalia, consilia, jussa Regum & Dominorum sive imperia, monita paterna ex consilio & imperio composita: conditiones conventionum, pacta & similia; cujus philosophiæ vestigia & in jure nostro Romano reperire licet, dum Juris conditores conditiones contractibus insertas, pactaque adjuncta, qualia sunt commissorium, de retrovendendo &c. leges contractuum appellant; itemque voluntatem patrisfamilias, uti super re sua legasset, pro lege habent, ita quidem ut & sine traditione dominium rerum hac ultima voluntate relictarum in hæredem vel legatarium transeat, id quod ex XII. tabulis descendit. At vero si accurate loquamur, lex non est, nisi quæ proficiscatur à superiore, & vim obligandi habeat; atque hinc facile patet, quomodo lex differat à consilio, pacto, itemque à jure. Primo à consilio, quod datur etiam à pari & inferiori etiam pari & superiori, nec unquam obligat, etsi forte obligationi occasionem præbere possit, quatenus notitiam alicui imprimat, quæ obligationem parit aut auget; id quod acci-

• De Jur.  
Gat. §  
Ment. lib.  
2. c. 6. §. 1.

dere potest & exemplo Medici comprobatur Pufend. \* Medicus pro imperio nequit ægroto præscribere, quid ipsi adhibendum, quibus abstinendum: sed dum  
osten-

ostendit, quid salutare sit quid exitiabile, ægrotus illud amplecti hoc fugere tenetur, non ex Jure quod in ipsum medicus habet, sed ex lege naturæ, quæ unicuique curam vitæ & incolumitatis suæ imperat: Eadem ratione consilium, quod à Senatu aliquo delegatam à Principe potestatem habente eidem Principi datur, per se quidem & velut ex potestate imperandi, quæ in senatu hæreat, principem non obligat: occasionem tamen obligationi præbet, quatenus principi repræsentat, qua ratione officio suo in præfenti negotio satisfacere queat. \* Lex ergo est præceptum, in quo parendi ratio desumitur à voluntate præcipientis, nec ad eos, quibus præcipitur, pertinet finem legis æstimare aut reprobare, sed eundem determinat is qui præcipit: at consilium est præscriptum, in quo ratio, quare pareamus, sumitur ab ipsa re quæ præscribitur, & ei, cui datur, liberum est apud se explorare, an expediat sibi consilium nec ne *l. 2. §. ult. in fine ff. mandat.* Denique consilium non nisi volentibus datur, lex etiam nolentibus fertur; qua ex parte à pacto quoque differt, quod non nisi consensu mutuo vim sortitur, & in origine sua ab arbitrio nostro dependet: adeoque pacto non tenetur, nisi qui consensu suo se obstrinxerit; lege autem obligamur, quia antea ejus auctori obsequium debemus: Veteres vero dum legem nomine conventionis definierunt, ad legem positivam humanam tantum & quidem in ordine ad statum Democraticum, non autem ad legem in genere respexisse in apico est.

\* Idem lib.  
7. cap. 6. §.  
12.

3. Denique lex differt à Jure , quatenus Jus denotat facultatem agendi , quæ ne confundantur , studiose cavendum esse monet *Pufend.* \* ne quando aliquid lege divina faciendi Jus esse dicitur , hoc ipsum eadem lege divina præceptum putemus , adeoque recte à nobis fieri posse , etiamsi legibus humanis , quibus divinæ utique præferendæ sunt , interdicitur ; cum enim homo omnia , quæ lubet , agendi potestatem habeat , nisi vi aut lege impediatur , inde usus loquendi invaluit , ut quæ lege aliqua non prohibentur , ex illa lege eadem agendi Jus esse dicatur : atque hoc quidem significatu Jus libertatem naturalem denotat , lex vero vinculum injicit , quo libertas illa constringitur.

• *Lib. 1.  
cap. 6. §. 3.*

4. Legem definimus , quod sit jussus imperantis obligans subjectos ad actiones suas secundum illum jussum instituendas , qua definitione legis natura ac virtus clarius exprimitur , quam Grotiana illa , quam supra cap. 2. circa finem adduximus , quamque non rejicimus quidem , sed declinamus ad evitandam disputationem prolixam & litigiosam de intrinseca actuum turpitudine vel honestate , quam Grotius supponere videtur per vocabula *obligans ad id quod rectum est* , in fine definitionis adjuncta , cujus disputationis summam paucis sic habe. Actiones humanæ dupliciter considerantur , vel materialiter ut terminis scholasticorum utar , id est cum sua natura & essentia physica , prout sunt motus physici , vel formaliter cum sua moralitate sive respectu ad normam : Si rò in-

trin-

trinsecum actuum intelligas de essentia & natura ipsorum physica, recte negabimus illos actus sic conceptos natura turpes aut honestos, quia sic concepti nullum habent respectum ad normam, quæ fons est turpitudinis aut honestatis, nec omnino morales sunt, utpote abstracti à circumstantiis moralibus: qui ergo dicit, actus hoc modo esse natura turpes aut honestos, revera dicit, actus esse morales & non esse morales, id est uno eodemque conceptu habere relationem ad normam & non habere talem. Actiones itaque humanæ, prout sunt motus physici non potius naturalem habent & insitam suapte sponte turpitudinem aut honestatem quam motiones animæ vegetativæ cæterarumque potentiarum: cur igitur actiones humanæ mentis sunt aut turpes aut honestæ, cæterarum potentiarum tales esse non possunt? nimirum quia his utpote libertate destitutis lex nulla data est, illis lex data est, quæ modo vetat, modo præcipit, unde fons honestatis & turpitudinis omnis; quod ipsum videre licet in legibus humanis: Eadem actio honesta est si lex præcipiat, quæ tamen eadem turpis erit, si lex vetat, v. g. si privatus hominem ex insidiis interficiat, crimen est, si idem faciat in justo bello miles, honestum est: qui ita? nimirum quæ lex privato interdicit, militi eadem imperat. Naturalem itaque actuum turpitudinem & honestatem non disputamus, sed eandem extrinsecus à lege seu norma à Deo præscripta ipsis accedere contendimus. Porro illam actionem dicimus naturaliter turpem aut honestam, quæ cum natura hominis rationali & recta ratione convenit

venit aut disconvenit; quæcunq; autem actio consentanea est aut dissentanea naturæ rationali & rectæ rationi, hæc ipsa jam legem offendit vel cum lege convenit; etsi enim humana ratio ipsa lex non sit, sed legem ostendat tantum & manifestet, attamen ipsi rationi lex illa divina data est & omnium cordibus insculpta, quæ honestatem actuum & turpitudinem determinat.

5. Supra in definitione legis mentionem fecimus obligationis, qua vis legis potissimum æstimatur; habet enim hoc omne jus, ut obliget: obligatio autem illa semper refertur ad aliquam pœnam violationi juris aliunde imminentem. Hinc legis duæ sunt partes, altera definitiva, vindicativa altera, sive sanctio pœnalis, & omnis vis legis proprie consistit in significando eo, quid superior à nobis fieri vel non fieri velit, & quæ pœna violatores legis maneat; vis autem legis coactiva, quam vocant, sive potestas exigendi à subditis conformationem ad normam & actu infligendi pœnas refragantibus, vis ipsius legis proprie non est, sed legislatoris aut executoris. Unde & hoc apparet, quid sentiendum de l. 7. ff. de LL. ubi Modestinus dicit, legis virtutem hanc esse, *imperare, vetare, permittere, punire*, nimirum per tò punire nihil aliud quam illam partem legis, quæ sanctio vocatur, intellexisse videtur Jure Consultus.

6. Atque hoc quidem Modestini decretum ulteriores tricas movet dum inter virtutes legis permissio-



missionem quoque censet, quæ tamen proprie actio non est, sed tantum actionis negatio \*; virtus autem legis cum positiva sit, hæc Modestini philosophia de virtute legis permissiva, quæ nihil aliud agere videtur quam nec præcipere nec vetare, difficilius consignatur, quam de præcepto vel prohibitione, de quibus nulla difficultas vel obscuritas. De permissione igitur quid dicemus, ne aut contra torrentem nitamur, aut Modestino aperte refragemur? quo postremo dum gaudent nonnulli & gloriantur, ego illud nimis audacter & confidenter absque necessitate asseri arbitror. Puto ergo cum Bœclero \* in legum actionibus & officiis recensendis non illo laxo sensu sumi permittendi vocem, quomodo permitti dicuntur, quæ intra terminos abnutivos non vetantur, id est, silentio prætereuntur, vel non attinguntur verbis legis; hoc enim sensu permissio non est actio, sed actionis negatio, etsi supponamus obligationem ex tali permissione oriri, non quidem, quæ ipsum, cui quid permissum dicitur, afficiat, sed quæ tertium quemvis stringat, ne impedimentum alteri ponat, si, quod lege permissum est, velit exercere; enim vero, si accurate loquamur, hic effectus ex permissione illa non descendit, sed ex propria cujusque libertate; circa quæ enim lex mihi impedimento non est, circa ea libertate gaudeo, cujus præcipue hic est effectus, ut ne quis me in innoxio ejusdem exercitio turbet: Permittere igitur significat potestatem facere alicuius rei, & in legibus positivis potissimum vim suam exerit. Est autem illa permissio vel

\* Grot. de  
J. B. & P.  
lib. 1. c. 1.  
§. 9.

\* Ad Grot.  
pag. 145.

D

ple-

\* *Gros. lib.* plena \* quæ jus dat ad aliquid omnino licite agen-  
 dum, vel minor plena, quæ tantum impu-  
 1. *cap. 1.* nitatem dat apud homines. Prioris exemplum est,  
 §. 17. dum aliquid ad certum modum & mensuram per-  
 mittitur, uti usuræ quincunces permittuntur: Vel  
 etiam simpliciter, uti lex Mosaica permisit divor-  
 tia, lex Romana concubinatum, & sic permitten-  
 do non agitur nihil; nam dare jus externum super  
 eo, quod alias non liceret, non est nihil, nec  
 tamen est vetare, vel præcipere. Posterioris ex-  
 emplo res non tantum licitæ, sed etiam in gene-  
 re illicitæ permittuntur, & impunitatem conse-  
 quuntur: Sic jus Romanum tolerat meretricias li-  
 bidines, ut aliæ civitates ebrietatem, ingritudi-  
 nem, similiaque mala, *quæ ubique improbantur, nus-*  
 \* *De Clem. quam puniuntur*, ut ait Seneca \*: huc quoque refer-  
 3. *Cap. 7.* ri forte poterit permissio, quæ marito datur ux-  
 oris suæ adulterum impune occidendi *L. 24. ff. ad leg.*  
*Jul. de adult.* itemque illa plusquam barbara è XII.  
 Tab. descendens, quâ creditori debitorem vel con-  
 fessum vel condemnatum, si solvendo non sit,  
 post inducias quasdam in privatum carcerem ner-  
 vo vel compedibus vinctum adducere, & si plu-  
 res fuerint creditores, tertiis nudinis corpus ejus  
 in partes dissecare, vel si malint, trans Tiberim  
 eum peregre venundare permittitur, eam-  
 que ob rem creditores sine fraude fore; cu-  
 jus legis sævitiem impugnat Favorinus Philo-  
 sophus contra Sextum Cæcilium Juris-Consultum  
 apud

apud Gellium \* Sane huic similes leges uti ipsi Juri <sup>Lib. 20.</sup> naturæ refragantur, ita nullius authoritatis obtentu <sup>cap. 1.</sup> in justarum legum numerum transire possunt, sed potius ingenii humani labem & fragilitatem testantur, qua evenire interdum potest, ut legislatores ceterum sapientiæ laude dignissimi utilitate & commodo rei communis ita obfuscentur, ut quid honestum sit, minus perpendant. Ex quo recte inferitur, ea quæ legibus civilibus vel tacite veluti per silentium & præteritionem, itemque connivendo dissimulando, tolerando: vel etiam expresse, potestate expressis verbis facta permittuntur, non protinus esse permissa; potest enim eadem prohibere lex naturæ, aut honestas aliqua naturalis sive regula officii vel humanitatis, *latius enim patet officiorum regula quam Juris civilis*, quod ipsum voluit Paulus J.C. tus, dum *non omne quod licet, honestum esse dixit l. 144. ff. de R. J.* cui geminum est id, quod Agamemnon inquit apud Senecam in Troadibus \* *Quod non vetat lex, hoc vetet fieri pudor.* <sup>Att. 2. sc.</sup> Nempe leges non quatenus ratione & intelligentia, <sup>2. v. 134.</sup> ut philosophi, sed quatenus teneri manu possunt, iniqua tollunt, ut ait Cicero \* *exempla vide in L. 4.* <sup>De Offic.</sup> *ff. de min. & d. l. 24. ff. ad leg. Jul de Adult.* Ita ergo <sup>3.</sup> demum omnino aliquid permissum censetur, quod nulla lege est prohibitum, nec naturali, nec positiva, nec honestatis regula.

7. Legem diximus jussum superioris, cui actiones subditorum sunt conformandæ: actiones autem tales esse debent, ut imputari, id est, ut subjecti per-

eas vel præmia vel poenas mereri possint, verbo, morales esse debent, circa quas legis vis tota vertitur. Actio autem ut moralis sit, voluntaria sit necesse est: hoc est in facultate & potestate agentis esse debet, illam fieri vel non fieri, suscipi vel omitti; id quod adeo manifestum est, ut etiam imperitissimi mortaliū, ubi super factō vel omisso aliquo accusantur, efficacius excusari se non posse putent, quam si prætendant, per se non stetisse, quo minus factum vel non factum fuerit. Unde firmissimum in moralibus axioma est, illorum rationem reddere debere hominem, quæ ut fiant vel non fiant, penes ipsum est; & econtra id, quod neque in se neque in sua causa penes aliquem fuit, non potest ipsi velut ex debito imputari; ea vero, quæ de imputatione peccati originalis hic disputant Theologi, ad nos non pertinent, cum unice de actionibus hominum in ordine ad forum humanum sermonem nobis esse velimus. Porro ut ommissio alicui recte imputetur, requiritur, ut facultas & occasio actionem suscipiendi adfuerit; ut autem factum possit imputari, sufficit si actio non fuerit invita, & directioni nostræ voluntatis sive delectui fuerit subjecta; quod autem præter voluntatem est, id dignum est venia, & leges etiam veniam concedunt ex involuntate & necessitate delinquenti, quod sic expressit Aristoteles Ethic. Nicom. lib. 3. cap. 1. in

\* In Thef.  
Comit. de  
Dernath.  
24

*spontaneis quidem laudes & vituperationes: in invitis venia, interdum & misericordia existit, idemque lib. 5. c. 10. \* & injuste agit & juste quispiam, cum sponte agit, nam cum in-*  
vitus

*vitus facit , neque injuste neque juste agere censendus est ; at juste vel injuste factum spontaneo & invito definitur , cum enim spontaneum fuerit , vituperatur ; tumque etiam est injuste factum : quare fit , ut injustum quidem esse quippiam possit , quod tamen nondum injuste factum sit , nisi id etiam effecerit , ut sponte factum sit .*

8. Meriti igitur omnis & honestatis vel turpitudinis , virtutum vel vitiorum , laudis denique vel vituperationis summa consistit in libera hominis voluntate vel libero arbitrio , quod cum Viro quodam doctissimo \* facultatem dicimus intelligentis naturæ , quæ ex pluribus ad agendum propositis unum adsciscere potest , rejecto ac segregato altero , adeo ut utrumvis eligere possit citra non modo coactionem , sed etiam necessitatem ad unum addicentem , alterius crepta facultate ; nam cujus voluntas ad unum aliquod adstricta est , ad idque necessitate rapitur , utrumque non habet in potestate , sed unum tantum , cui est affixa necessario ; nec nisi falso de illa dici potest , alterum , si vult , amplectitur , si non vult , non amplectitur , quod tamen ad libertatem requiritur , nec Ulpianum latuit *l. s. ff. de R. J. asserentem , quod ejus sit nolle qui potest velle .* His in genere præmissis facile apparebit , quænam homini possint imputari , quæ non : elucet nimirum , quare impossibilia , necessaria , coacta , vegetabilium facultatum effectus , per ignorantiam patrata , quatenus illa ignorantia reddit actionem invitam , & similia , homini nequeant imputari , quæ omnia singillatim

*\* Auth. dicit. Thes. Comitis de Bernath. n. 30.*

excutere, etsi vera methodus id deposcat, mei tamen ratio instituti non patitur, ne in commentarii justam molem hæc sola excrescat disputatio. Atque hæc sunt conditiones, quas intervenire necesse est in actione omni, quam lex præcipere possit, qualiscunque demum illa lex sit; nam si conditiones illæ absint ab ea actione, quam lex præscripserit, inutilis imo stulta lex erit.

## CAPUT V.

### De Lege naturæ.

*1. Transitus ad summam legis divisionem. 2. Proponitur quorundam sententia de duplici natura lege, & speciatim de lege promiscua, qua in medio relinquitur. 3. Illi tamen accommodatur definitio Ulpiana. 4. Datur Jus natura: quod contra Carneadem & alios demonstratur. 5. Jus natura definitur & ostenditur ipsam rationem legem non esse. 6. Jus natura est immutabile. 7. Mutari tamen potest ejus objectum, quod probatur. 8. Civilis potestas nihil potest circa præcepta vel prohibitionem hujus Juris: distinguuntur quædam confundi solita.*

**I.** Cognitis legis virtutibus, actionumque conditionibus, quibus efficitur, ut legi parere possimus, locus postulat, ut ad legis ipsius divisionem in suas formas sive species descendamus. Lex itaque omnis aut divina est aut humana; prout legislator omnis vel est Deus vel homo: Divina rursum duplex

duplex est, vel naturalis quæ natura duce nobis innotescit, vel positiva, quæ non ex generali conditione naturæ humanæ, sed ex solo divini legislatoris arbitrio proficiscitur, & per expressam promulgationem nobis innotescit. Hanc aliqui jus voluntarium appellare amant, non quod ipsa quoque lex naturæ non sit à voluntate Numinis profecta; sed quia Jus hoc voluntarium non tam necessariam cum natura humana habeat convenientiam, ut etiam citra expressam & peculiarem promulgationem hominibus constare, & obligationis vinculum injicere posset. Prætermisissis legibus Dei positivis de lege naturæ sermonem nobis esse volumus, quæ quid proprie sit, non tam est in facili, quam imber, cum pluit, ut ait Plautus.

2. Acres ac diuturnæ de naturali hac lege contentiones inter philosophos jam dudum excitatæ fuerunt, quos inter eo temeritatis prolabuntur quidam, ut nullam ponant boni malive naturam, eique inhærens jus naturæ omnino convellant; ne honestatis lege per naturam constituta suis ipsamet legibus natura damnetur, quod eveniret, si virtus unâ & vitium eâdem naturâ consisterent; nam lex virtutis à natura veniens damnaret vitium ab eadem natura profectum \* Nec minus obscura & confusa est ejusdem legis notio, quæ è Juris Consultorum profertur scholis, & non homines modo, sed bruta etiam complectitur: Profecto enim illa Juris Consultorum definitio qua naturæ jus dicitur id, quod natura omnia

\* Vid.  
Gravina  
Orig. lib.  
2. §. 1.

nia

nia animalia docuit, eo sensu, quo vulgo accipitur, componi non potest cum præceptis honestatis, quæ nobis prohibent illas corporis voluptates, ad quas expetendas ipsa etiam natura instigamur: Nec definitio altera, quæ Jus naturæ docet esse dictata rectæ rationis, applicari poterit ad ferinas illas affectiones, quibus humana etiam natura corripitur, à recta ratione prorsus alienas. Quæ affectiones tam oppositæ ab oppositis quoque principiis oriri, & leges hæc dissidentes à naturis diversis profluxisse videntur. Unde duplicem quidam naturæ legem sibi effingunt

\* *communem* unam, quam etiam *promiscuam* appellant, quæ tam longe lateque discurrat, ut ambitus hujus immensitatem omnia continentem, resque singulas eodem ambitu comprehensas involvat, ipsumque etiam hauriat hominem, qui communi hac lege irretiatur: & *peculiarem* alteram, quam legem solius mentis sive rationalem dicunt, quamque utpote præcipuam & naturæ mentis congruentem sejunctamque ab lege communi rerum aliarum solus homo subierit. Legis promiscuæ voce nihil aliud significant, quam motionem illam & ordinem, ab Authore naturæ rebus omnibus tam viventibus quam inanimatorum infusum, qui omnia pervadit, omniaque ciet & agitat, resque varias producit simul & interimit, ex interituque unius alteram suscitatur, ita ut præter hunc ordinem neque intereat, neque maneat, neque oriatur quidquam. Communissimæ hujus legis humanum quoque corpus participare dicunt, quod promiscuis illis naturæ motibus & instinctibus post inobedientiam primo-

\* Lips. manud. ad Stoi. Phil. dissert. 17.



primorum parentum inordinate sese exerentibus implicatum, rectæ rationi & legi hominis peculiari sæpe obnititur, adeoque hominem in diversa trahit, & ad culpam committendam instigat, quam utique concipit, si à lege mentis, quæ utpote hominis propria ei unice debet imperare, se abstrahi patiatur ad sensum corporis, circa quæ doctrina de moribus & affectibus potissimum versatur.

3. Atque his quidem de duplici naturæ lege, duplicique hominis natura in medio relictis, nobis hic annotasse sufficiat, qua ratione definitio Juris naturæ à Jctis prolata non tam sit absurda, quam ea quibusdam videatur. Enimvero dum illi maris & foeminae conjunctionem, sobolis procreationem & educationem, nec non defensionem sui tanquam officia naturæ cum cæteris animalibus nobis communia è naturali lege repetierunt, non, puto, aliam naturæ legem intellexerunt, quam communem & promiscuam, sive ordinem à Creatore constitutum circa illa potissimum, quæ ad conservandam naturam id est speciem sive individua animalium faciunt; cujus rei argumentum videtur, quod hujus Juris capita mox expressa, quæ tanquam præcipua Jcti recensent, unice huc spectent. Ceterum Jus naturæ proprie dictum, ad cujus normam & regulam homines actiones suas debent componere, homines inter & bruta commune statuere merito absurditatis redarguitur; quandoquidem eruditi tantum non omnes in eo conveniunt, in bruta Jus omnino non cadere; namque,

E

ut

ut Aristoteles ait , ubi ratio non est ibi Jus non est ; quare cum ratio in bruta non cadat , Jus eisdem convenire non posse necesse est ; imo quanquam faterer veram esse opinionem eorum , qui existimant , vere ratiocinari bruta , non inde tamen conficeres Jus brutis esse tribuendum , cum juris capax non sit , nisi natura præceptis utens generalibus , qua de re extat locus elegans Ciceronis. \* Jus itaque , de quo nobis sermo est , ultra genus humanum non porrigitur , sed ejus definitio ab ipsa hominis conditione & natura est petenda.

\* Lib. 1. de  
fin.

4. Verum frustra de Jure ejusque definitione suscipitur disputatio , si ipsum Jus nullum sit , quod disputamus. Cum ergo non desint , qui existiment , omne Jus ab utilitate & potentia ortum cepisse , nullumque omnino ab ipsa natura expressum esse , juxta illud apud Horatium , *utilitas justis prope mater & equi , nec natura potest justo secernere iniquum* ; cui simile aliud : *in summa fortuna id æquius quod validius , nihil injustum quod utile* ; Itemque illud : *Sanctitas , pietas , fides , privata bona sunt , quo lubet , Reges eant* ; Quo facto potissimum ipsa flagitia & scelera dominantium ex fonte Juris , specie philosophiæ derivare instituunt : juvabit perniciosissimum hunc errorem , Carneadi cum Cyrenaicis , nec non Epicureis olim , illorumque fundamenta recedenti Hobbesio imputatum , paucis refellere. Disceptavit hanc quæstionem Grotius de J. B. & P. in Proleg. §. 5. ubi pro sententia Carneadis sequentia refert argumenta : Nimirum homines ad utilitatem suam  
pro-

propriam sanxiffe Jura, eaque varia pro moribus, & apud eosdem pro temporibus sæpe mutata; unde inferunt, ubi nulla sit utilitas, ibi nullum quoque Jus esse: maxime, cum homines id cum cæteris animalibus commune habeant, ut ferantur unice ad utilitatem suam propriam etiam cum damno aliorum: Unde Jus nullum constituunt, nullam justitiam, aut si sit aliqua, eam summam esse stultitiam, quoniam alienis commodis consulens suis utilitatibus nocebit. Atque hinc etiam facile patet, qua ratione Carneades, ejusque sequaces, quam à civibus exigunt justitiam, eam in summo Principe insuper habeant; cum enim in Jure nihil spectent nisi utilitatem, quæ manifesta est in civibus, qui singuli ad sui tutelam sunt invalidi, magnarum vero civitatum rectores summique Principes, dum omnia possidere videntur, quæ ad vitam recte beateque ducendam sunt necessaria, opus habere non videntur ea virtute quæ foras spectat, ac justitia appellatur, quæque hominum alteri magis bonum, quam sibi ipsi præstat. Verum fragili hæc omnia nituntur fundamento; imprimis enim etsi verum foret, quod de animantibus nobis obtrudit Carneades, quodque falsum esse quotidiana nos docet experientia, dum bruta etiam animantia pro salute foetuum suorum vel aliorum sibi congenerum vitam exponere & in quævis pericula se conjicere videmus: exinde tamen minime sequeretur illatio ad hominem, qui non solo impetu regitur, sed alio principio longe nobiliori, videlicet ratione, qua ex parte brutis quamplurimum præstat. Homo itaque ratio-

ne utens, præterquam quod ab ipsa natura insitam habeat reverentiam sensumque Divini Numinis, cujus utpote Creatoris sui optimi simul ac potentissimi voluntatem sanctissime in omnibus, invito etiam qualicumque utilitatis studio, sibi esse servandam, propria uniuscujusque dijudicat conscientia, videt præterea non tam experientia quam ipso rationis lumine convictus, societatem aliorum hominum non tantum utilem sibi esse & necessariam ( *nam quo alio tuti sumus,*

• Seneca de *quam quod mutuis juvemur officiis? \** ) verum etiam hanc societatem à Deo ipsaque natura inter homines esse constitutam, vi cujus mutua pace, charitate ac benevolentia sibi invicem affecti esse jubentur; quo

• De *Ami-* pertinet illud Ciceronis \* *Quodsi hoc apparet in bestiis, volu-*  
*critia.* *lucris, natantibus, agrestibus, cicuribus, feris, primo ut se diligant, deinde, ut requirant atque appetant, ad quas se applicent, ejusdem generis animantes; idque faciunt cum desiderio & cum quadam similitudine amoris humani, quanto id magis in homine sit natura? quocirca à natura mihi videtur potius, quam ab imbecillitate aut indigentia orta amicitia. Naturalem hanc inter homines societatem, ex omni antiquitate mirifice hic consentiente, demonstrare*

• Vid. *Bo-* facile, at longum foret \*; unicus ergo hic Ciceronis lo-  
*hem. In-* cus, quem adduxi, sufficiet; præsertim cum nemo,  
*trod. p. gen.* nisi qui hominem ex homine exuerit tam excors esse  
*c. 1. in no-* posse credendus sit, ut naturalem hominum conjuncti-  
*tit ad S. 31.* onem ad certum aliquem finem, adeoque societatem negare non perhorresceret. Quodsi autem non ab indigentia aut utilitate sed ab ipsa natura orta est societas inter homines, ipsa quoque natura inter eosdem

dem jus quoddam sit oportet, quod societatem hanc contineat; salva enim esse societas sine amore & custodia partium non potest, & suffragante Seneca \* *Hac societas diligenter & sancte colenda est,* <sup>In Epi- stola 48.</sup> *qua nos omnes omnibus miscet, & judicat aliquod esse commune Jus generis humani.* Quod ipsum quoque voluit Aristoteles: \* *Ubicunque est amicitia, ibi jus est,* <sup>\* 8. Eth. III.</sup> ac Cicero: \* *Si patefiat, qua sit conjunctio hominum, qua* <sup>Lib. 1. de naturalis societas, his explicatis fontem legum & Juris inve- kg. c. 5.</sup> *niri.* Non absimili quoque argumento ab intellectu omnibus communi communem humani generis legem derivat Marcus Antoninus \* *lib. 4. §. 4. Si* <sup>Apud Auth. The- sum Lovan- nii edit. de Leg. Nat.</sup> *intellectus nobis communis est, etiam ratio, qua rationales dicimur, communis est: Si ratio, etiam ea, qua, quid agendum, quid omittendum prescribit, ratio, communis est: Si hæc, lex quoque communis est.* Denique si cum Christianis nobis negotium sit, rem totam conficit testimonium Apostoli, qui \* *opus legis mentibus inscriptum,* <sup>Ad Rom. 2. §. 14.</sup> *ejusque testimonium reddere unicujusque conscientiam abunde declarat.* His stabilitis sponte ruunt Carneadis reliqua; quod si enim jus quoddam sive legem non utilitas aut potentia, sed natura expressit, uti monstravimus, huic legi parendi necessitate adstringi universos ejusdem naturæ participes invitos etiam & reluctantes, manifestum est: porro cum hæc naturæ lex sit vinculum ipsius humanitatis, quam imperantes in summa etiam fortuna rerumque omnium & virium affluentia constituti utiq; non exuunt etiam respectu subditorum, qui eodem vinculo continentur, liquet aperte, nec Imperantibus ex utilitate aut po-  

E 3

tentia

tentia jus quoddam nasci, si communis humani generis lex in adversum trahat. Sequitur ulterius male à Carneade stultitiæ nomine traduci justitiam respectu magnarum civitatum earumque Rectorum; nam sicut ipso fatente stultus non est civis, qui in civitate jus civile sequitur, posthabita etiam ob ejus Juris reverentiam propria utilitate; ita nec stultus est populus aut Rex, qui non tacti facit suas utilitates, ut propterea communia omnium populorum Jura negligat: par enim utrobique est ratio; nam sicuti civis invitus etiam tenetur civitatis legibus, ita nec in potestate & arbitrio summorum Imperantium situm est, non parere illi legi, quæ totum humanum genus obligatione & parendi necessitate devincit contra quascunque etiam corruptæ naturæ inclinationes & cupiditates.

5. Quid tandem igitur est jus naturæ? Cicero

\* Lib. 1. de leg. \* id definit, quod sit *ratio summa insita à natura, qua jubet, qua facienda sunt, prohibetque contraria. Naturam sequi oportet nihil eorum faciendo, qua vetat atque abdicat communis illa lex, id est recta ratio per omnia permeans,*

\* *Manud. ad Stoi. Phil. lib. 2. dissert. 16.* ut ait Chrysippus apud Laërtium à Lipsio \* adductus: Igitur Chrysippo itemque Ciceroni lex illa communis est recta ratio, quod ipsum multi tam veteres quam recentiores infinitis locis prodidere, dum dictamina rectæ rationis pro ipso Jure naturæ nobis obtrudunt: at vero illi si recte sentiunt, non loquuntur recte. Etsi enim nobilissima sit supremæque nobilitatis particeps humana ratio, adeo ut illam veteres

teres modo divina particulam auræ, partem Jovis, particulam à Jove divulsam, creaturam nobilissimam\*, modo genium felicem, Deum in humano corpore hospitantem, variisque aliis magnificis nominibus appellarint, quibus præstantiam humanæ mentis condigne efferre & exprimere studebant; Ipsa tamen ratio lex non est, sed legem ostendit tantum & manifestat: Lex autem si-ve Jus naturæ est voluntas Dei jubentis ea quæ faciendæ sunt, vetantisque contraria, quæ voluntas solo rationis lumine nobis innotescere potuerit. S. Augustinus\* *lex aterna est divina ratio vel voluntas ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.* Atque hæc est illa lex omnium cordibus insculpta, & stylo naturæ immortalis in mente æterna exarata, quam non didicimus, legimus, verum ex natura ipsa hausimus, expressimus; \* *Ad quam non docti sed facti, non instituti, sed imbuti sumus.* In ratione autem non magis est sita natura legis naturalis, quam legis humanæ natura consistit in tabulis aut scripto aut voce præconis: vel si mavis cum judice pro tribunali sedente illam comparere licebit, quæ judicium exerceat de justis ab iniquis, de honestis à turpibus discernendis, uti Basil. Orat. 12. p. 465. \*, quod Hieronymus quoque sic expressit: *Est enim in animis nostris naturalis\* quadam, ut ita dixerim, sanctitas, recta scilicet ratio, quæ velut in arce animi præsidens exercet boni malique judicium.* Recte autem obligatio Juris naturalis ab imperio Dei naturæ authoris accersitur; quis enim alius nisi solus Deus universo humano generi legem ponet, cui idipsum sub metu imminentis pœnæ parere necesse habeat? Exprimit hoc ipsum è Ciceronis

\* Lips. ibid. diff. 17.

\* Contrâ Faustum l. 22. c. 27.

\* Cic. in Orat. pro Milone.

\* In Theof. Comit. de Dernath.

\* Apud Lips. introd. diff. 18.

\* *Dip. In-*  
*stit. lib. 6.*  
*cap. 8.*

ceronis lib. 3. de Rep. locus insignis, quem Lactantius \* ab interitu servavit; en verba: *Huic legi nec obrogari fas est, neque derogari aliquid ex hac licet; neque tota abrogari potest. Nec vero aut per senatum aut per populum solvi hac lege possumus. Nec erit alia lex Roma, alia Athenis, alia nunc, alia posthac: sed & omnes gentes, & omni tempore una lex & sempiterna & immutabilis continebit: Unusque erit communis quasi Magister & Imperator omnium Deus, illo legis hujus inventor, disceptator, lator: cui, qui non parebit, ipse se fugiet, & naturam hominis aspernabitur; hoc ipso luet maximas pœnas, etiamsi cetera supplicia, qua putantur, effugerit. Et in l. 2. ff. de Legib. de naturæ lege dicitur, quod omnes homines ei obtemperare oporteat, cum ob alia multa, tum vel maxime eo, quod tota illa lex inventum & munus Dei sit. Ex his consecutarie apparet, quid de principio Juris naturæ, de quo tam acriter disputatur, sit sentiendum: patet nimirum voluntatem Dei sive ipsum Deum, in quo omnia unum sunt, esse primum principium obligandi seu essendi, ut stylo metaphysicorum utar; solus namque Deus pro obligatione injungere quid potest universo humano generi: de principio autem cognoscendi Juris naturæ paulopost agetur.*

6. Quodsi vero Deus est Author Juris naturæ insiti & lator, cujus potentia tam immensa est, ut nullis limitibus circumscribatur, nonne & hæc lex ita pendet à voluntate & arbitrio Divini Legislatoris non tantum in prima sui productione, sed etiam in tota & perpetua sui conservatione, ut pro libitu mutare



tare eam possit ? humanarum enim legum omnino hæc est natura , quibus ne adjici quidem potest ea conditio , ne mutantur vel abrogentur impostertum , uti eleganter Cicero \* quodam loco : *Nulla est lex , que non ipsa se sapiat difficultate abrogationis , sed cum lex abrogatur , illud ipsum abrogatur , quo non eam abrogare oporteat.* Ad hanc quæstionem sic respondemus : Tametsi infinita sit ac illimitata Dei potentia , dici tamen quædam possunt , ad quæ se illa non extendat , quia , quæ ita dicuntur , dicuntur tantum , sensum autem , qui rem exprimat , nullum habent , sed sibi ipsis repugnant : hoc est , ut scholæ loquuntur , contradictoria sunt ; sicut ergo , ut bis duo non sint quatuor ne à Deo quidem effici potest , ita nec à Deo effici potest , ut esse rerum , postquam sunt , & qua sunt , aliunde pendeat , & ut factum non factum fieri possit : sic licet Deus libere hominem ab initio creaverit , tamen dum ipsum animal rationale creavit , quamdiu hominis naturam non mutat , tam diu legem naturæ , sicut & præcepta virtutis immutare non potest ; \* Etenim Deus non potest velle , ut homo recte ordinetur ad semetipsum & ad proximum , & tamen tollere illud Jus , quod ordinem illum constituit & conservat , Dei enim potentia ad impossibilia se non extendit.

6. Ceterum an Deus privato cuiquam vel populo indulgere possit , ut præcepta naturæ vel etiam Doctrinæ moralis seponere ipsi liceat , item an Deus naturæ leges , ipsamque adeo naturam humanam

F

evertere

\* Grot. de  
J. B. & P.  
l. l. c. 1. §. 9.  
n. 6.

evertere & creare genus hominum posset perpetuis turbis ac cædibus obnoxium, varie disputatur; nos autem tam altum philosophari non audemus, ne forte aut divinæ absolutæque potentiæ præscribamus, aut Deo ter optimo quidquam tribuamus, quod ejus sanctitati repugnet. Illud hic notandum \*, fieri interdum, ut in his actibus, de quibus Jus naturæ aliquid constituit, imago quædam mutationis fallat incautos, cum revera Jus naturæ non mutetur, quod immutabile est, sed res, de qua Jus naturæ constituit, quæque mutationem recipit. Atque hinc resolvuntur notæ in vulgus objectiones de permissione Dei Israelitis in exitu Ægyptus data auferendi vasa argentea invitis dominis, de homicidio in Cananæos populos, de occisione & immolatione Isaaci Abrahamo præcepta & aliis, de quibus sic judicandum: nimirum tales actus à Deo præceptos, non fuisse furtum, homicidium, quæ voces vitium involvunt; etenim si quem Deus occidi, si res alicujus auferri jubeat, furtum & homicidium non erit, cum id ipsum vitæ & rerum supremo Domino authore fiat; nec ideo furtum aut homicidium fiet licitum; cum aliud sit mutari legem, aliud mutari objectum legis, quod secus sentientes confundunt. Atque hæc mutatio objecti circa legem naturalem etiam absque actione Dei immediata evenire potest: sic homicidium non est, si miles vel carnifex hominem interficiat, nec furtum si per judicem invito etiam domino res auferatur, quia scilicet dum hoc fit legitima autoritate, objectum

ctum legis jam mutatur, quæ talia non nisi libidine & malitioso destinatoque consilio perpetrata condemnat ac detestatur : alia exempla de depositario & creditore acceptum ferente suppeditant Grotius & Feldenus, quæ tamen eodem redeunt : Jus itaque naturæ semper & ubique idem, immotum, perpetuum ac immutabile statuimus, quod id maxime præcipuum habet supra leges humanas abrogationi & mutationi undequaque obnoxias.

7. Præterea immutabilitate Juris naturæ respectu Dei stabilita, otiosa & superflua videtur disputatio, quid summa civilis potestas possit circa hanc legem, ne ab Authore quidem naturæ mutabilem; patet nimirum non nisi per summum scelus ea imperari vel permitti posse, quæ inviolata hæc lex tanquam nefaria & fugienda detestatur, & quæ summa potestas secus judicet, illam indebitum sibi Jus arrogare, nec meritas eam ob rem poenas effugituram; Ea vero, quæ non nisi permissive attingit vel prorsus intacta relinquit naturæ lex, pro arbitrio imperantium mutari, augeri & diminui pro diverso rerum statu posse. Sic ex. gr. Jus naturæ permisit ut omnes homines sint liberi, sed idem jus non vetat, quo minus aliqui sint servi: quotiescunque igitur jus naturæ actum permittit, aut certe non definit, quomodo quibusve conditionibus actus ille geri debeat, toties politica potestas hujusmodi actum conditionibus certis circumscribere poterit, v. g. testamentum uti & matrimonium

monium est Juris naturæ, id est, utrumque jus naturæ permittit: sed testamenti factio est Juris civilis, id est, illi soli possunt testamentum perficere, quibus jus civile permittit, iisdemque conditionibus, quibus jus civile jubet, quæ est sententia *Legis 6. ff. de J. & J.* Eadem ratione jus venandi, piscandi, occupandi loca deserta & inculta, montes sylvasque insulasque: Jus thesaurum in suo repertum, itemque mineralia & subterranea in proprio fundo inventa vindicandi, similiaque Jura, quæ circa *adspota*, uti vocant, versantur, & naturaliter hominibus competere dicuntur, hæc omnia, inquam, Jura introducto Jure Regalium haud inique mutationem receperunt. Ne quis itaque hic in errorem inducatur, studio distinguendum est (I.) inter ea, quæ vere & obligative Juris sunt naturalis, & ea quæ saltem negative & pro certo rerum statu ita dicuntur; uti modo vidimus. (II.) Inter legem naturæ, quæ producit obligationem, cui homo obligatus renunciare nequit, & facultatem sive jus ex hac lege subortum, cui etiam naturali quilibet renunciare potest. (III.) Inter jus naturæ & inclinationes naturales, quas ipsas quoque Gassendus *part. Mor. Phil. Epic.* ad leges naturæ sed minus recte refert; *nec enim inest in primis natura conciliationibus honesta actio*, ut ait

<sup>\* Lib. 3. de</sup> Cicero \* Unde ipsum etiam naturæ jus has sæpe corrigit, & ad rectæ rationis exigit normam. (IV.) Inter ea, quorum materia Jure naturali necessaria, & quæ fieri melius saltem & honestius est: nimirum hic quandoque fit, ut necessaria glo-

\* Lib. 3. de  
fin.

gloriosis pro conditione temporum recte præferantur. (V.) Inter ipsum Jus naturæ, ejusque subiectum, humanam naturam, quæ sæpe pravis institutis, ac perversitate morum ita corrumpitur, ut dictamina Juris naturæ vix sentiat, certe non audiat: quare, *quid naturale sit, spectandum in his, quæ bene secundum naturam se habent, non in depravatis*, ut monet Aristot.\* Polit. l. 2. c. 3

(VI.) inter Jus naturæ & Statum hominum naturalem, quæ confundi Stoicis solenne est. Atque hæc quidem omnia commisceri promiscueque haberi vulgo solent, ut adeo mirum non sit, si circa ipsa principia contracto vitio, postea in ipsis rerum argumentis versanti inextricabiles ubique nodi occurrant & difficultates, quas tamen superari posse recentiorum quorundam nos docet opera, qui profligatis vulgi erroribus disciplinam hanc nobilissimam non modo fundatam, verum etiam exstructam exhibent.

## CAPUT VI.

### De ratione cognoscendæ legis naturalis.

1. **D**ifficile est ponere principium cognoscendi Juris naturæ propter opinionum diversitatem.
2. Requisite hujus principii: id è variis fontibus peti potest, si minus accurate loqui velimus.
3. At verum & genuinum est charitas sive cultura pacis & societatis, quod probatur ratione & autoritate.
4. Refellitur contraria quadam sententia.
5. Confirmatur nostra

*stra sententia & post binas objectiones differentia inter Jus natura & præcepta virtutis statuitur. 6. Probatum hæc differentia à diverso respectu actionum humanarum, ex quo diversa quoque oritur obligatio. 7. Usus hujus distinctionis obligationum ad impugnanda Hoppesii & Spinosæ dogmata necessarius.*

I. **P**erspecta indole & essentia Juris naturæ, ad rationem cognoscendæ hujus legis inquirendam ordine deducti sumus. Est autem tam mira circa hanc rem opinionum varietas, ut pedem tuto figere vix liceat. Etsi enim plerique in eo conveniant, Jus naturale ex ipsa hominis ratione eruendum, idemque ex istius recte se habentis dictamine profluere, quo nomine etiam sacræ literæ hanc legem cordibus hominum inscriptam pronuntiant; de eo tamen, *quid sit recta ratio, quid sit convenientia cum natura hominis rationali*, maxime dubitatur, hocque valde in obscuro positum est. Atque eo quidem pertinent notissimæ veterum philosophorum Stoicorum potissimum de summo bono sive bonorum extremo disputationes, quas videre est apud Ciceronem \* Plutarchum. Com. *ne suaviter quidem vivi posse secundum Epicuri decreta*, itemque apud J. Lipsium \*, qui plenissime hac de re & luculenter.

\* De finibus.

\* Stoi. phil. lib. 2. diff. 13. & seqq.

2. Fundamentum itaque sive propositio quædam fundamentalis est ponenda, quæ ita sit comparata, ut omnia Juris naturæ præcepta compendio in se complectatur, & ex hac ista facili & perspicua subsumptione deduci in eamque resolvi possint, prætere-

rea

rea quoque ejusdem veritas ex solo rationis lumine unicuique innotescat , quamcunque circa religionem persuasionem habeat; quæ requisita statuit Kulpis \* ad hoc , ut jus naturæ , quod intuitu conservandæ societatis humanæ est latum, distinguatur à præceptis Theologiæ sive Doctrinæ moralis ; atque hoc , quin variis modis fieri possit, extra dubium collocat, quare nec insectandos censet, qui connexionem conclusionum cum ipso principio, id est ipsam convenientiam cum natura humana è diversis fontibus repetunt, dummodo in se veri sint, nec absurditatem involvant : unde illorum quidem, qui vel in præceptis Noachicis, vel sola utilitate aut propriæ salutis studio, vel etiam in actibus, quos homines cum brutis communes habent, hoc fundamentum quærere volunt , opinionationes rejiciendas; eorum vero sententias, qui fundamentum constituunt vel in cultu divino, vel amore Dei & hominis, vel illud ex conformatione creaturæ rationalis cum Creatore, aut comparatione ad decalogum, vel ex fine mundi conditi, itemque ex tribus Juris præceptis à Justiniano productis, repetunt, omnes inquam has sententias usurpari posse, & facile ad concordiam redigi citatus Author existimat, si quis liberalius agere, adeoque cavillationibus viam præscindere velit; quæ conciliatio effectum forte sortiri poterit, si præcepta virtutis cum præceptis Juris naturæ confundere placeat.

*Colleg.  
Grot. ex-  
ercit. 1. §. 4.*

3. At

3. At vero si accurate loqui & genuinum ejus Juris principium statuere velimus, quo violato NB. *non tantum quis male agit, sed & alteri hominum injuriam facit, tum culturam pacis & tranquillitatis cum aliis hominibus, sive, quod idem est, ejusmodi dispositionem hominis erga quemvis hominem, per quam ipsi benevolentia, pace & charitate, mutuaque adeo obligatione conjunctus intelligitur, Juri naturæ tanquam principium, (scilicet cognoscendi) recte substrui, omniaque ex natura demonstrationis profluentia requisita habere, nullus dubito. Hanc autem culturam pacis sive socialitatem appellaris, sive, (ut invidiam nominis lenitate verbi demulceas) benevolentiam, sive amicitiam aut charitatem dixeris; sive regula salvatoris illam circumscribas, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, perinde esse arbitror; nam & hoc ipsum principium idem, quod lex de colenda cum aliis pace intendit, quia tunc demum cum aliis tranquille vivis, si alteri non feceris, quod tibi non vis fieri \* Confirmatur hæc sententia dupliciter, ratione, & autoritate; Ratione: quia ad societatem natos & à Deo conditos nos ipsa ratio vincit, & si fingeretur status hominum extra societatem, id est, sine conjunctione ad certum aliquem & communem finem, is humanus non esset, sed uti omnis coaguli, ita omnis quoque Juris expers: communis autem ille finis toti humano generi præfixus sine dubio id intendit, ut homo hominem eo, quod homo sit, id est, ejusdem naturæ,*

&

\* Bohem.  
introducitur.  
p: gen. c. 1.  
§ 20. in not.



& rationis particeps, amicitia ac charitate complectatur, & pacem ac tranquillitatem cum eo colat, id, quod toties & tam fortiter in novi testamenti tabulis inculcatur: Porro qui vult finem, vult quoque media ad finem, quod in moralibus vel maxime obtinet; Igitur, cum omne id quod vel turbat vel conservat pacem & charitatem humani generis, id jam vel impediatur vel promoveatur consecutionem finis, consequens est, id ipsum à norma, quæ ob hunc finem est posita, vel esse prohibitum vel præceptum, vel saltem permissum. Atque hoc est, quod tam magno consensu agnoverunt veteres sapientiæ Magistri, uti Pufendorff. refert \*, quorum auctoritas, si usquam alibi, in hoc potissimum argumento, valere debet; cum teste Apostolo, etsi gentiles fuerint, normam tamen hanc cordibus inscriptam senserint & cognoverint. E multis veterum testimoniis, quæ accumulare hic non vacat, pauca sufficient, quo imprimis faciunt Stoicorum & Platoniorum hanc in rem insigniter enunciata, quæ passim apud Lipsium \* reperire licet: Seneca quoque in suis scriptis passim, & Cicero in officiorum libris vix non totus in eo est, ut communitatem hanc & consociationem inter homines naturæ rationali tam convenientem stabiliat, & ex læsione vel conservatione hujus societatis justitiam vel injustitiam actionum humanarum eruere & cognoscere allaboret. Idem Cicero \* Pisonem Academicum ita differentem inducit: *in omni honesto nihil est tam illustre, nec quod latius pateat, quam conjunctio inter homines hominum, & quasi*

\* De J. N.  
G. l. 2. c. 3.  
S. 15.

\* Stoic. phil.  
lib. 2.

\* Lib. 5. de  
finibus bonorum.

G

qua-

quædam societas & communicatio utilitatum & ipsa charitas generis humani &c. qua animi affectio suum cuique tribuens atque hanc quam dico societatem conjunctionis humana munifice & æque tuens justitia dicitur, cui adjuncta sunt pietas  
 \* Lib. 1. de Leg. bonitas, liberalitas, benignitas &c. Idem \* Quam plane intelligo nos ad Justitiam esse natos, neque opinione, sed natura constitutum esse Jus; id jam patebit, si hominum inter ipsos societatem conjunctionemque perspexeris. Et Florent. l. 3. ff. de J. & J. Cum inter nos cognationem quandam natura constituit, consequens est hominem homini insidiari nefas esse. Cicero \* Si hoc natura præscripsit, ut homo homini ob eam causam quod homo sit, consultum velit, certe violare alterum Jure natura prohibemur: Et ibidem dum demonstrare vult, nemini quidquam detrahendum, aut proprium lucrum alieno incommo-  
 \* Lib. 3. de offic. dum demonstrare vult, nemini quidquam detrahendum, aut proprium lucrum alieno incommo- do non esse captandum, nam principio ait, tollit convictum humanum & societatem, si enim sic erimus affecti, ut propter suum quilibet emolumentum spoli-  
 et aut violet alterum, dirumpi necesse est eam, qua maxime est secundum naturam, humani generis societatem. Haud dubia igitur veterum authoritas eam in partem nostrahit, ut dicamus, quidquid societatem pacem ac tranquillitatem inter homines aut conservat aut promovet, id legem naturæ jubere, & e contra quidquid eandem societatem ac pacem destruit aut offendit, id eandem legem vetare.

4. Varias hic dissentientium opiniones regerere, earumque fundamenta refellere non vacat, ne angustiores instituti limites transgrediar, idque adeo disputationi potius reservatum velim: abstinere me tamen

men non possum , quo minus paucis dicam , quid sentiam de propositione hac , nimirum quod *ex eo colligamus aliquid rectæ rationi esse consentaneum , si in ejus licentiam omnes homines in statu plane abstracto consensissent , & vice versa , quod id judicemus rectæ rationi esse dissentaneum , si in ejus licentiam ante omnem casum particularem homines non consensissent .* Sane videre non possum , quomodo ex hac conclusione aliud quam enerve quoddam naturæ Jus deduci possit , quod neque necessitate parendi adstringat humanum genus , neque prorsus obligationem pariat , nisi in quantum impedimentum tollit , ne quis per tertium in innoxio hujus Juris exercitio interturbetur : atqui certissimum est , & jam supra ostendimus , hunc potissimum esse effectum facultatis sive libertatis naturalis , quam si quis pro ipso Jure sive lege naturæ assumpserit , in perniciosa Hobbesii dogmata incidet ; quodsi vero Jus saltem naturale permissivum ex hoc principio deduci instituat , id quidem largiar ultro , ast negabo indagari hic in rationem cognoscendæ legis tam imperfectæ , cujus vis tota vertitur in permissione : pernegabo quæstionem hic esse , ut fundamentum ponatur legis tam imbecillæ , quæ positiva obligandi vi ac potestate destituitur , sanctione caret , è duobus contrariis neutrum aut faciendum aut fugiendum imperat , verbo à natura legis atque Juris ita declinat , ut illam non nisi improprie & reductive legem appellent interpretes . Ceterum Jus naturæ permissivum sic comparatum esse , uti id modo descripsimus , nec aliud tamen Jus , aliamve legem è proposito principio di-

gnoscendæ legis naturalis deduci posse , clarius forte apparebit exemplis: Matrimonium utique in eorum numero habendum est , in quorum licentiam omnes homines in statu plane abstracto consensissent : porro in cujus licentiam homines in statu abstracto consensissent , id rectæ rationi est consentaneum , adeoque Juris naturæ , ergo matrimonium in cujus licentiam haud dubie omnes homines consensissent , rectæ rationi est conforme , adeoque Juris naturæ : atqui matrimonium certe non est Juris naturæ præcipientis , quod necessitatem infert moralem adeo , ut refractarii communi generis humani odio sint prosequendi ; alias enim Monachi , cæterique coelibatum profitentes scelesti forent ac nefarii sanctissimorum Juris naturæ præceptorum violatores ac hostes humani generis , quod cogitare sacrilegum est ; recte ergo infertur , id quod omnibus hominibus in statu abstracto licitum visum fuisset , rectæ rationi quidem convenire , sed hætenus tantum , ut hoc dictamine rationis nihil aliud nisi permissio Juris naturæ manifestetur ; quod ipsum infinitis adhuc exemplis à libertate naturali effectu Juris naturæ permissivi petitis comprobari poterit. Porro lex naturæ permittendo nihil agit , cum permissio non sit actio , sed actionis negatio , & omne id , quod à lege non prohibetur , id eadem lege permissum censetur , quod in lege naturæ potissimum obtinet , cujus perfectio postulat , ut ita sentiamus : Jus naturæ permissivum turpitudinem aut honestatem actuum non determinat , obligationem non producit , sed potius libertatem laxat ,

laxat , adeoque norma actionum humanarum esse non potest , quas arctissimo sanctissimoque obligationis vinculo contineri in confesso est : de eo vero Jure cognoscendo, quod actionum humanarum norma, & regula non est, nec est, cur tantopere solliciti esse debeamus , cum in toto hoc argumento de mutuis hominum officiis , atque mutua adeo obligatione disceptetur ; sequitur ergo ex hactenus dictis ex contrario hic adducto cognoscendæ legis naturæ principio nil colligi aliud , quam Jus naturæ permissivum, cui quodcunque tandem fundamentum substruatur, non resolvit quæstionem de lege naturæ proprie dicta, de qua nobis quæstionem esse volumus, cognoscenda. Accedit quod per ea verba , in quod homines *in statu abstracto & ante omnem casum particularem* consensissent , *per statum abstractum* status integritatis intelligi videatur ; inextricabilibus autem difficultatibus se implicabit , qui convenientiam cum statu integritatis pro fundamento Juris naturæ posuerit ; Imprimis enim evidentia caret , nam præterquam quod ex solo lumine naturæ citra revelationem sacræ scripturæ nihil vel parum de hoc statu constaret , in statu integro etiam fuit Jus positivum, ergo si convenientia cum statu integro est fundamentum, convenientia quoque cum Jure positivo erit fundamentum Juris naturæ. Deinde in statu integro multa fuissent alia, ac etiamnum multa sunt, quæ tunc non obtinuissent, hominum officia, v. g. civitatum, magistratuum, judicum , belligerantium &c. ergo principium cognoscendæ legis naturalis à convenientia cum statu inno-

centiæ petitem vix poterit esse adæquatum. Demique, etsi daretur principium hoc esse & verum & adæquatum, quod concedi non debet, admitti tamen non posset, quia certe non est perspicuum, cum obscurum exponat per æque obscurum; id enim quærimus unde homines in *statu abstracto* cognoscere potuissent, quid sit licitum vel illicitum? Neque adeo causam video cur à sententia veteribus laudata sit recedendum. Aliorum quædam principia solide & dilucide refutat Thomaf. \*

\* *Instit.*

*Jur. prud.*

*div. lib. 1.*

*cap. 4. &*

*Fund. J.N.*

*& G. l. 1.*

*c. 6.*

5. Manet itaque inconcussum, in eo, quod supra posuimus, principio, indeque confecta propositione fundamentali summam legis naturalis, ejusque cognoscendæ rationem contineri, adeo ut natura rationalis eadem sit, quæ pacifica & socialis in ordine ad definiendam mutuam inter homines obligationem, & quidquid hanc societatem humani generis necessario aut destruit aut conservat, id quoque à lege naturali aut prohiberi aut præcipi: sicque evidens est connexio conclusionum cum ipso principio; nam quando v. g. quæro, quomodo ex lumine rationis citra revelationem divinam colligatur, furta, homicidia Jure naturæ esse prohibita, & pacta eodem Jure esse servanda, recte respondebo, quia si illa essent permessa, hæc autem non necessario forent servanda, societas humani generis non tantum turbaretur, sed prorsus everteretur. Hoc autem principium cognoscendi Juris naturæ, etsi omnia e natura demonstrationis profluentia requisita id habere

habere existimem, certo tamen sensu nolim dicere primum & adæquatum: Non primum, quia aliud principium prius, & exinde fluens præceptum, *Deo pare*, præsupponit: Non adæquatum, quia exinde saltem justitia & injustitia actionum per legitimam consequentiam eruitur, non autem totum opus legis mentibus inscriptum; quod ut plenius intelligatur, varia hic annotanda veniunt, unde calumniandi an-  
 sam arripere solent adversarii. Notandum itaque custodiam societatis & tranquillitatis hic non venditari pro principio absolute ultimo, sed pro in certo genere tali, sive voluntati Dei subordinato, aut quod clarius est, pro principio non essendi & obligandi, sed cognoscendi & demonstrandi voluntatem divinam ex lumine rationis; namque cum extra dubium sit, hominem dupliciter voluntatem divinam cognoscere, scilicet per lumen rationis & revelationis, non immerito jam ulterius quæritur \* in quantum & quatenus voluntas illa divina per lumen rationis (lumen revelationis enim huc non pertinet, quippe quo destituuntur gentiles, quos nihilominus tamen jus naturæ obligat) in Jure naturæ cognosci, & quilibet homo de injustitia actionis suæ convinci possit? Unde sicut non est opus, ut hoc principium absolute ultimum esse probetur, ita nec accurate loquendo hæc est sententia, ac si ex custodia societatis & pacis homines obligentur; sed ex voluntate & jussu Dei homines ad culturam pacis obligari: & licet non tantum ex Jure revelato, verum etiam citra revelationem ex lumine ratio-  
 nis

\* *Vid. Ludov. in delineatione Hist. Jur. Div. Nat. Sc. §. 102. & seq.*

nis ad longe plura se adstringi cognoscant homines, quam quæ ex custodia societatis derivari possunt, uti videbimus §. sequenti, sub nostro tamen principio tanquam sub communi axiomate comprehendendi præcepta justitiæ contendo, quæ sola pertractare ad Jurisconsultos, cætera vero ad Ethicam sive Theologiam moralem pertinent. Dixi principium obligationis in solo Deo esse, & custodiam societatis & pacis à Deo omnibus hominibus præcipi & injungi; ex quo fluit, homines huic custodiæ renuntiare neutiquam posse; renuntiatio enim fieri potest, quoties Lex aliquid permittit tantum, non quando præcipit. Dices: Renuntiant Eremitæ, qui sanctioris vitæ studio ab omni societate & commercio hominum abstracti, in solitudine vitam agunt contemplativam; atqui hoc vivendi genere jus naturæ non violatur? jejuna sane objectio! Renuntiat Eremita societati, id est, conversationi hominum, at renuntiare nequit custodiæ societatis & tranquillitatis inter homines; quamdiu enim humanam naturam retinet, obligatur æque ac alii, ne quid admittat, quod leges charitatis violet, & pacem ac tranquillitatem adeoque societatem humani generis tollat aut evertat: Igitur si quis altiori quodam principio commotus humanas spernat delicias, & utilitatibus, quæ ex commercio & conversatione hominum in quemvis privatim redundant, frui nolit, is inclinationi naturali, quæ ad utilitates ferri solet, repugnabit, at Juri naturæ minime, adeoque, cum quælibet actio ex  
sine



sine suo æstimanda sit, sibi inclinationibusque suis propter altiorem & perfectiorem quendam finem vim inferendo maximam laudem merebitur: atque hæc est sententia, quam in Religione nostra sanctissime consignatam tenemus. Expressit hoc ipsum anonymus quidam *chap. de la conversation*, \* *Oeuv. de St. Evrem. melange Tom. 1.* ubi postquam varia differuisset in laudem commercii & conversationis hominum, & quam ea sit secundum naturam demonstrasset, sic ait: *C'est agir contre l'intention de la nature, que de fuir la compagnie. Je ne pretens pas blâmer ceux, dont nôtre Religion a consacré la retraite & le silence, au contraire je les admire; le principe, qui les a porté à choisir une vie si contraire à la nature, nous oblige de les révéler &c.* Firmum itaque hucusque manet, à læsione & conservatione pacis & societatis inter homines legem naturæ cognosci. At dicēs iterum, cur hæc, quæ jus naturæ jubet vetare, ita determinantur ex natura societatis humanæ, cum etiam citra revelationem ex solo lumine naturæ constet, Deum plura alia jubere vetareque, quorum necessitas aut prohibitio proprie non pendet à conservatione vel læsione societatis humanæ, sed tamen omnino requiruntur, v. g. ut homo recte ordinetur tum ad Deum, tum ad semetipsum; an ergo hæc omnia à Jure naturæ separare fas est? Respondeo, si jus naturæ à præceptis doctrinæ moralis, sive præcepta justī à præceptis virtutis distinguere velimus, uti sane oportet, tunc illos tantum actus, qui ad conservationem vel læsionem humanæ societatis tendunt, ad jus naturæ proprie dictum

H

ctum

etum referre oportebit, cæteros vero ad alterius cujusdam normæ præscriptum pertinere statuendum est. Utramque normam optime inculcat Salvator his verbis: Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum sicut te ipsum. Prior tendit ad internam quietem & emendationem sui ipsius, quia tendit ad pacem cum Deo optimo salutis & boni fonte conciliandam: Altera proximum respicit, quem quis diligere debet sicut se ipsum, quocum si in pace & tranquillitate vivit, leges naturæ strictè dictas, & quæ ad officia humanitatis spectant, observat; cui utrique normæ si pareatur, tunc demum homo ad scopum suum, ad quem creatus est, perducitur. Prior norma continet officia hominis erga Deum & semetipsum, quæ etiam si ex lumine rationis constare possint, ex nostro tamen principio cognosci non possunt, quo sensu id adæquatum non esse dixi; & quia hoc respectu actiones hominum non denominantur justæ vel injustæ, sed tantum bonæ vel malæ aut non injustæ, de hac norma cognoscenda disputationem relinquimus Theologis. Altera vero norma, quæ officia hominis erga alium hominem sive proximum dirigit, & justitiam vel injustitiam actionum determinat, ex principio nostro cognoscitur, & de hac sola Jurisconsultis sermonem esse oportet.

6. Unde hic notandum actiones hominis duplicis potissimum esse generis, vel in relatione ad alios, quibuscum in societate humana vivit, vel in ordine

ne ad semetipsum : Ibi norma ex fine ejusdem atque indole societatis humanæ, qua homines inter se sunt conjuncti, primario intendit pacem externam, sive ut tranquille & pacifice cum aliis vivatur ; hic vero ut inordinata voluntas in ordinem redigatur, & homo interne emendetur. Porro quanquam certissimum sit, Dei jubentis vetantisve voluntatem per rationem nobis manifestatam utriusque generis actionibus tanquam normam esse præscriptam, ita, ut si hujus normæ principia quæris & causas, nulla sit differentia ; hoc interest tamen, quod Dei jussus sive voluntas aliquando producat obligationem internam tantum, id est solius Dei respectu : aliquando vero etiam externam, ita ut homo non soli Deo, sed aliis insuper hominibus obligetur ad faciendum vel fugiendum ea, quæ Deus jubet vetatve per rationem : quarum obligationum altera ad normam virtutis, hæc vero ad jus naturæ proprie dictum pertinet. Sic ex lege naturæ quilibet obligatur, ut cum altero pacifice vivat, tranquillitatem quærat, vel saltem non tollat : quæ obligatio eo fortior est, quo magis uniuscujusque interest hanc servari, & quo minus humanum genus totum sine hac subsistere posset ; Tollas enim charitatem & mutuam tranquille vivendi studium inter homines, & statum miserrimum, ne brutis quidem convenientem, bellum scilicet omnium in omnes, oriri videbis. Si bellum, tum nulla securitas sed mera violentia, hancque concomitans mutua petulantia, qua totum humanum genus ad mutuam internecionem, atque

H 2

ad

ad totale adeo excidium ruere necesse est. Sed utrum quis virtutis leges in se negligat, alterius non interest nisi superveniente alio quodam officiorum respectu, ex. gr. patris, superioris Ecclesiastici, vel principis, quorum ex officio etiam interest, sibi subditos ad virtutem quoque duci: absque hoc autem respectu & vinculo nemo alteri obligatur ut virtuose & pie vivat, ut inordinatos animi motus compescat, & sic qui interne se emendare recusat, sibi quidem damnum maximum, nemini tamen injuriam facit: unde nec cuiquam jus perfectum competit hoc ab altero exigendi, aut illum vi eo adigendi, quod fecus se habet in eis actionibus, quæ commercium humani generis inter se concernunt. \*

\* *Bohm.*  
*introd. p.*  
*35. in not.*  
*iii. (t.)*

7. Atque jam ulterius patet, quem usum habeat hæc obligationum differentia; quodsi enim solummodo ad præcepta Juris naturæ servanda sese mutuo cogendi Jus hominibus naturaliter competit, non vero ad præcepta virtutis, manifestum est nec gentes liberas, quæ hodie dum inter se in statu naturali versantur, ad aliud quidquam sese mutuo cogendi facultatem habere, quam ad leges naturæ, non vero item ad leges virtutis servandas, nisi in quantum ex harum quoque negligentia damnum in univèrsum genus humanarum vel injuria forte in tertium redundaret. Præterea hæc obligationum distinctio supponenda est, ut occurri possit eorum sententiæ, qui existimant præcepta Juris naturæ meram internam habere efficaciam, nisi in statu civili ab imperio superioris vis  
cis

eis externa accesserit , ex quo monstroso fonte pro-  
manant horrida illa ac pernicioſa dogmata, quæ pro-  
ponit Hobbeſ. Angluſ *in tr. de civē & Benedictuſ*  
*Spinofa in tr. Theol. Pol. cap. 2.* quorum principia à  
Bœcl. Pufend. Hubero, Bohem. & aliis abunde refu-  
tata, locupletioris ſunt argumenti, quam ut anguſtiſ  
hiſce cancellis circumſcribi queant ; diſputationi er-  
go relinquenda ſunt, ubi perverſis eorum rationibus  
reſpondendi provinciam non recuſabo : at nunc ne  
plus juſto longi ſimus, ſupereſt, ut capite unico de  
Jure gentium generaliffimis hiſce principiis finem im-  
ponamus.

## CAPUT VII.

### De Jure gentium.

1. **N**on datur juſ gentium à Jure natura diſtinctum, quod  
obliget ut lex. 2. Sed nec datur juſ gentium volunta-  
rium à conventionē ortum, quod probatur. 3. Nec pactum  
tacitum, nec mores gentium quidquam evincunt. 4. Juris  
Conſulti Romani nobiſcum conveniunt. 5. Propoſita diſtinctio-  
ne Juris natura in abſolutum & hypotheticum probatur ſervi-  
tutem eſſe Juris natura. 6. Objectiones de Legatorum ſancti-  
tate, de teſtamentiſ & contractibus diluuntur. 7. De mo-  
ribus gentium circa bella. 8. De aliis gentium inſtitutiſ Ju-  
ri gentium non recte accenſitiſ. 9. De factiſ gentium :  
concluditur & rejicitur diſtinctio inter juſ gentium prima-  
rium & ſecundarium.

I. **S**Ocietas hominum inter se in statu naturali seu æqualitatis viventium introductis hodie rebus publicis societas gentium dicitur, & Jus quod hoc modo inter civitates nec sibi invicem nec uni subjectas imperio intercedit, Jus gentium appellatur, cujus jam supra cap. 2. obiter mentionem fecimus pleniore ejusdem tractatione in hunc locum rejecta. Totius disputationis summa in ea vertitur quæstione, utrum detur Jus gentium peculiare distinctum à Jure naturæ, quod hæctenus descripsimus? distinctum id uno pene ore omnes supra actis sæculis in scholas invexerunt, atque ita rem per se claram late fusa interpretationum nube obscurantes in inextricabiles sese nodos induerunt. Existimo ergo cum consultissimo Smitsio \* non recte carpi à Grotio Carneadem, Aristotelem & veteres alios, qui Jus omne distributi sunt in divinum & humanum, & prætermiserunt tertiam illius juris speciem, quam posterior ætas commenta est. Enim vero jus omne conditum est aut à Deo aut ab homine, quare jus omne aut divinum sit necesse est, aut humanum; humanum jus esse non potest, quo omnes gentes utuntur, certe quo omnes gentes adstringuntur; nam qui legem condit, necesse est, ut possit & poenas infligere violanti legem, & præmia decernere legem eandem servantem: quis autem nisi solus Deus ab omnibus gentibus, sive ab universo humano genere reposcat poenas spretæ legis, aut quis tandem servatæ legis præmia statuatur? quodsi quod vulgo faciunt, dicas jus gentium à jure naturæ distinctum ortum trahere à

con-

\* *Auth.*  
*Thef. com.*  
*de Derrath.*  
*cap. 18.*

conventionem omnium aut *politiorum* gentium, negabimus conventioni vim legis tribui oportere: cur hanc ipsam conventionem servare necesse erit? utique, quia superior & æterna aliqua lex jubet, quam eandem jus & naturæ & gentium esse contendimus.

2. Haud incerta igitur est assertio jus sive legem gentium à lege naturæ distinctam nullam dari, cum enim gentes omnes inter se sint æquales, lex autem non proficiscatur nisi à superiore, qui gentium respectu solus est Deus, legem humanam inter gentes obligatoriam ne comminisci quidem poterimus. At dicet, illam speciem Juris humani, quod gentes obligat, legem quidem non esse, nec recte legis nomine appellari, esse tamen jus ortum à consensu & conventionem, *qua gentes in ordine ad ea mutua obligatione confociantur, quæ ad communem ipsarum utilitatem pertinent, & deo obligationem ad ea, quæ respiciunt utilitatem magnæ illius Universitatis omnium gentium adeoque totius humani generis, male adscribi commentitiæ, vel saltem minus certæ cuidam conventioni, cum ea non aliunde quam ex communi illa & vere humana societate, adeoque Jure naturali deduci possit. Plurimum civitatum gentiumque utilitati & tranquillitati aliqua Jura legitima convenire, & ex pacto accommodari posse facilius credideris: at omnium populorum usui certissime una moderatur naturæ lex, societati ac communitati humani generis continendæ divinitus destinata. Atque sic longe melius consulitur utilitati, salutis, ac securitati gentium, quam si hu-*

jus

jus Juris origo ad simplicem gentium conventionem referatur, quæ si retinet naturam conventionis, tum mutuo saltem consensu iterum ab eadem recedi poterit, nec gentes cæteræ, quæ huic conventioni nondum accesserunt, ex aliarum facto teneri poterunt, adeoque in earum libero permanebit arbitrio, an cæterarum gentium conventionem consensu factoque proprio approbare, an Legatorum sanctitatem & alia hujus Juris capita amplecti velint an repudiare: certe denegato consensu nullius alterius peccati argui possent, quam cujusdam ruditatis, non vero injuriæ in genus humanum, quod idem dicendum est, si qua forte gens nova hodie emergeret, quod quidem non fit mutata tantum reipublicæ forma, sed aliis tamen modis evenire potest. Quod si dicas Jus gentium quamvis à conventionem ortum, necessarium tamen esse & immutabile propter manifestam utilitatem in humanum genus necessario exinde redundantem, negabo hanc Juris necessitatem componi posse cum libertate conventionis, ex qua illud ipsum Jus ortum cepisse contendunt, negabo iterum immutabilitatem Juris inter gentes aliunde quam à voluntate divina posse derivari.

3. Porro cum de expressa gentium conventionem nihil constet, ad pactum tacitum vel ad mores utentium confugiendum est adversariis: Sed utrumque parum commode in scenam producitur; imprimis enim mores gentium Jus non scriptum effice-

re



re non possunt, nam consuetudo, quæ non nisi ob tacitam principis approbationem vim Juris obtinet, extra civitatem, ubi tacita principis approbatio ne concipi quidem potest, locum non habet: deinde nec factum aliquod gentium afferri potest quo patet illud tacitum probari queat, neque enim imitatio sola in rebus meri arbitrii obligationem infert. Præterea si illud dicas Juris gentium, in quod gentes si non omnes, saltem *morata & politiores* tacite consenserunt, modum considerandi Jus naturæ, non rem ipsam mutaveris; asserit enim ipse Grot. \* præci-<sup>\* De J. B.</sup> puus adversantium sententiæ patronus, à posteriori<sup>& P. lib. 1.</sup> ita probari Jus naturæ: Accedit, quod distinctio inter<sup>cap. 1. §. 12.</sup> gentes *moratas & barbaras* in hac controversia communiter adhiberi solita plus implicet quam ad definiendum præsit; quid enim gentes *moratiores* facit, quis determinabit, utrum gens aliqua *morata* sit an *barbara*, cum gentes inter se sint æquales? sane origo hujus distinctionis admodum suspecta videtur, quasi aliunde non profluxerit, quam è fastu & arrogantia Græcorum & Romanorum, qui gentes exterarum omnes *barbaras* appellarunt; quocumque ergo te vertas, vapulas, nec Grotius ipse, qui specialem in Jure gentium explicando operam professus est, satis sibi hic constare à pluribus notatur Boecl. ad Grotium *l. 1. c. 1. §. 4.* Pufend. *de J. N. & G. lib. 1. c. 3. §. 23.* Jac. à Ryffel *d. J. N. & G. c. 27. §. 4.*

4. Neque hic ullum diversæ sententiæ auctoribus patrocinium accedere potest à sententia JCto-  
I rum

rum Romanorum, quos opinionis suæ vindices non absque injuria adsciscunt. Cum Pomponius scripsit *l. 2. ff. de J. & J.* à Jure gentium profectam ergo Deum religionem, aut pietatem erga parentes, non utique ignoravit jubente æterna lege pietatis vinculo homines Deo devinctos: non ignoravit, quo jure vitam parentibus debemus, eodem pietatem nos iisdem debere. Cum Florentinus *l. 3. eod.* scripsit, Jure gentium id concessum nobis, *ut vim atque injuriam propulsemus, nam Jure hoc evenire, ut quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existimetur, non ignoravit hic Florentinus, quod pro Milone scripsit Cicero, hanc esse natam legem, quam ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus, ut si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, si in tela aut latro- num, aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expedienda salutis.*

5. Ulpianus *l. 4. ff. eod.* scribit servitutem Jure gentium invalisse, cum jure naturali omnes liberi nascerentur & beneficio Juris gentium securum esse manumissionis beneficium; hæc non probant Jus gentium à Jure naturæ distinctum; etenim Jus gentium, de quo Ulpianus, vera naturæ lex est: nimirum non unum est, certe non intelligitur unum genus Juris naturæ;

\* Puf. de J.  
N. & G.  
l. 2. c. 3. S.  
24

\* Jus naturæ aliud est absolutum, quod obligat antecedenter ad omne factum humanum: aliud hypotheticum, quod obligat supposito aliquo humano facto, quod Grotius sic expressit: *Jus naturale non de iis tantum agit qua citra voluntatem humanam existunt, sed & de multis, qua voluntatis humana actum consequuntur.* Hanc po-

postremam Juris speciem Jus gentium Romani vocant, cum scribunt Jus gentium esse, quo omnes gentes utuntur, aut quod necessitate quadam exigente excogitatum est: re ipsa hujusmodi Jus, naturæ lex est, sed quæ vim non exeruit suam, nisi cum humanum aliquod factum secutum est; nam ut ad Ulpianum redeamus, Jure naturæ licet interficere eum, qui nos bello injusto laceffit, porro quem occidere licet, spoliare utique licet \* licuit ergo naturæ Jure <sup>• Cic. lib. 3.</sup> servituti & dominio nostro subicere, quem eodem <sup>de offic.</sup> Jure interficere licuit.

6. Qui hæc omnia largiuntur, ad legatorum sanctitatem confugiunt: legatos sacrosanctos esse ajunt, eosdem jure naturæ sacrosanctos esse negant, restare ergo, ut sacrosancti sint gentium jure, quod idcirco distinctum volunt à jure naturæ. Sed nihil hæsito, legatos ipso naturæ jure sanctos dicere & inviolabiles \* etiam apud hostem, siquidem speciem legatorum <sup>• Puf. ibid.</sup> non speculatorum præ se ferant, nec in eum ad quem <sup>§. 23.</sup> missi sunt, hostilia moliantur, etsi Domini sui commodum præ alterius commodo quærere ipsis liceat; Enim vero bella componi, & ad pacem redire jubet naturæ jus, jubet igitur ut legati mittantur, sine quibus bellum componi & pax confici commode nequit: quomodo autem legati tuto mittentur, aut quomodo mandata expleant recte, nisi se sacrosanctos putent, & illi soli obnoxios à quo missi sunt? Valebit hic illud in scholis tritum, qui præcipit finem præcipit simul media, sine quibus finis obtineri non potest.

potest. Quod porro attinet testamenta, donationes, emptiones, locationes aliaque id genus negotia, quæ turba interpretum modo à jure gentium secundo ratione ratiocinata ducere, modo solennitatibus & formalitatibus juris civilis vestire amat, breviter dicimus, contractus & testamenta juris naturæ esse, testamentorum factionem esse juris civilis, nimirum jure naturæ unicuique competit facultas de bonis suis tum per actus inter vivos, tum mortis causa disponendi, idque vi dominii ab hominibus introducti & à Deo comprobati; cum tamen hæc testandi contrahendique facultas sit juris naturæ concessivi tantum, non præceptivi, summa potestas vi imperii sibi delati certis eam conditionibus adstringere poterit, quibus neglectis facultas effectum sortiri nequeat, adeo ut tali negotio contra præscriptas à suprema potestate condiciones inito nihil omnino actum censetur, & ne naturalis quidem exinde oriatur obligatio: quippe facultas sive jus à lege impeditum ab una parte, nullam ab altera obligationem producere potest vel effectum, nisi qui eadem lege tali negotio expresse fuerit concessus. Ex quo fundamento jam definienda est obvia illa in jure Romano de obligationibus naturalibus controversia.

7. Quid mores gentium valeant, quos communiter sed falso tamen, uti ostendimus \*, pro Jure usurpant, quam vim habeant videamus? Mores gentium sive ea, quæ apud gentes plerasque peræque custodiuntur, nec Juris naturæ tamen præceptis

\* *Hoc cap.*  
§. 2.

ptis continentur, ad summum rationem decori habent; decorum autem per se jus non constituit, nisi consensu mutuo receptum sit, sine quo obligationem plane non producit. Sic multæ circa bella potissimum sunt consuetudines, quibus magni bellatores populi ideo vigorem dederunt, ut humanitatis & magnanimitatis quadam specie bellorum atrocitatem temperarent, neve usurpata omni justæ belli licentia ambitionem suam odio & invidiæ nimis exponerent. Unde ortæ exemptiones certarum rerum & personarum à vi bellica, modus nocendi hostibus, modus tractandi captivos & similia, quas consuetudines si quis legitimum bellum gerens neglexerit, iisque se nolle teneri professus fuerit, modo contrarium earundem per jus naturæ recte fieri possit, justitiæ regulas transiluisse dicendus non est; etsi forte commodo & utilitati propriæ male consuluisse videatur, eandem sævitiam ab hostibus talionis & summi Juris ratione experturus.

8. Præter bellicas consuetudines multa alia adhuc vigent in rebus humanis instituta, à plerisque etiam populis recepta, quorum vis comitati potius, quam gens genti præstat, quam obligationi vel Juri tribuenda est. Sic ut ad actus cujusque v. g. testamenti vel contractus validitatem sufficiat adhibitio solennitatum, quas lex loci, in quo actus geritur, præscripserit: ut quod ita gestum fuerit, porrigatur ad bona mobilia & immobilia ubicunque sita in aliis territoriis, quorum leges alium vel pleniorum forte requirunt

solennium interventum : ut mobilia in dubio regantur lege loci, in quo eorum dominus domicilium fovet, ubicunque illa vere extiterint : ut res in una civitate judicatæ in aliis effectum habeant & executioni mandentur & similia, multi principes ac populi ex mutua comitate sibi invicem præstant, quanquam nulla obligatione nulloque Jure illuc adstringantur; quantopere enim divisis imperiis Principes & Magistratus contemnere & negligere suo Jure possint, Principis aut Magistratus alteri territorio præpositi statuta vel decreta, aperte docent inter plures confines gentes receptæ literæ, quas appellant *requisitorias*, quibus veluti beneficium petitur & pari data occasione velut beneficium offertur sententias à rogante latas executioni mandari in territorio rogati, quales rogationes etiam non ubique admitti denegata alieni judicati executione, Brabantinos exemplo docent Gelrii, quos ideo injustitiæ nemo accusavit, sed potius eos jure in territorium sibi competente isthac ratione uti dicendum. Si qua igitur gens summi juris ratione suffulta, officia comitatus & humanitatis alteri populo denegare malit, quam eadem vicissim expectare, nemini hoc factò injuriam inferre dici potest : non magis quam privatus quispiam, qui duro vivendi genere sibi placens & aliorum spernens delicias relinqueret aliis, quæ ipsorum sunt, sibi que sua servaret, omni repudiato commercii officii que liberalioris usu, utcunque hac ratione minus feliciter in societate civili vitam transacturus esset.

9. De-

9. Denique & facta gentium juri naturæ contraria nomen juris gentium induerunt, uti olim funesta gentium latrocinia, & plurima hodie, quæ in bellis impune fiunt, stupra, adulteria, innocentum cædes aliaque facinora, quæ juri gentium accensere multi non verentur. \* At quis non videt petulantia & effrenatæ licentiæ hos esse effectus, non juris? neque enim talia facta, quod puniri nequeant, jure facta censeri debent; nam sic omnia, quæ à gentibus fiunt, juri convenirent, cum inter gentes in statu æqualitatis viventes nulla detur pœna vel punitio, quæ nemente quidem concipi potest sine superiore, qualem gentes non recognoscunt præter solum Deum, cujus imperium omnis terra veneratur. Concludimus itaque ex hæcenus dictis, jus gentium, quod multi hoc nomine usurpant, interdum jus plane non esse, interdum vero nihil aliud, quam jus civile quoddam à pluribus populis receptum, uti hodie Jus Romanum, quod eodem modo, quo receptum, iterum abrogari potest: verum autem jus gentium, quod gentes qua tales obligatione devincit, & circa quod solvendum humanæ potestati non plus licet, quam circa ipsum jus naturæ, hoc inquam jus gentium unum ac idem cum naturæ jure, & utrumque à Deo Authore profectum esse volumus: unde jam sua sponte quoque ruit distinctio inter jus gentium primævum & secundævum, uti loqui solent, quam commentum plane credimus, ad nihil aliud inventum, quam ad salvandam Triboniani \* doctrinam ab aliis male intellectam, at in principiis nostris certissimam captuque facillimam.

*vid. Bobm. introd. p. 51. sub lit. H.*

*S. 2. Instit. de J. N. § 6.*

CA-

## CAPUT VIII.

### De Origine Civitatum & Imperiorum.

1. *T*ransitur ad dissertationem de summo Imperio, & definitur civitas. 2. *O*ri­go civitatum historica. 3. *D*e origine civitatum disquisitio philosophica. 4. *J*us natura præcipit Imperii summi introductionem. 5. *O*stenditur quo sensu Summum Imperium sit à Deo. 6. *D*iluuntur argumenta in contrarium, & primo constitutio illa Imperialis apud Pfeffingerum. 7. *2*do respondetur ad argumentum à potestate Ministri Ecclesie & mariti in uxorem desumptum.

1. **A** Primis & ab intima retrusioneque philosophia petitis principiis, quibus recludendis hætenus operam dedimus, perpetua serie pergemus usque ad ipsum usum rerum. Igitur cum nobilissima productio juris naturalis sit Summum Imperium, quod Deus comprobat, imo & imperat, quoniam sine eo lex naturæ à Deo data humano generi vim suam aliter exerere non possit, de Summo Imperio, & de nonnullis ejus prærogativis, ante omnia vero de origine civitatum differendum est. Est autem civitas *cætus familiarum juris consensu & communione utilitatis sub Imperio summo sociatus*, qua descriptione rempublicam quoque finiri constat: neque adeo hic moramur politicos ad superstitionem usque subtiles, qui juris & imperii mentionem in civitate fini-



finienda fieri nolunt, quoniam illis verbis respectus ad rempubl. contineatur, à qua civitas abstrahenda fit: differre equidem rempubl. à civitate, ut concentum à chordis vel ut animam à corpore non negamus: sed in corpore vivi hominis describendo quid vetat dici animatum id esse? tantundem est dictu, civitatem sub certo imperio agere, sine quo civitas nulla esse potest.

2. Qui in civitatum origine indaganda versantur, duplici potissimum via id aggrediuntur, vel enim historice in eam inquirunt, vel philosophice: quidam vero utraque ita commiscent, ut neutrum assequantur. Qui historice rem restituunt, de facto sunt solliciti, quomodo seu qua occasione primi mortalium in societates civiles revera abierint; quod ut demonstretur ad ipsa humani generis primordia assurgendum est: ubi quantum ex priscaurum historiarum monumentis & sacris litteris potissimum colligere licet, verior apparet sententia, civitates & imperia ab initio non fuisse constituta ex bono consilio, sed ut vel eo tutius facinorosi latrocinia exercerent, vel ut suam imperandi libidinem explerent. Primo enim certum est, Cainum fratricidio adhuc recentem condidisse primam civitatem, quem nihil magis ad hoc compulisse videtur, quam odium erga pios & dominandi libido: Enim vero anxietas illa & diffidentia, quam ipse de se testatus est asserens, se imposterum in mundo vagum, nullibi tutum, sed uniuscujusque internecioni fore obnoxium, remorsus quidem erant

K

sce-

sceleris consciā mentis , adeo ut ob solum metum , propriæque securitatis causa civitatem condidisse videatur : nihilominus tamen non incertum prorsus est Cainum non tantum ad sui tuitionem , & conservationem in civitate quæsisse præsidium , sed simul continuato in probos justosque odio & invidia , ut eosdem eo facilius opprimeret , *ad luxuriam quoque & latrocinium familiares suos invitasse , quorum doctor in sceleris studiis erat* , ut ait Joseph. *antiq. lib. 1. cap. 4.* Quæ Josephi authoritas rejicitur quidem à Pufendorfio \* sed ideo , uti videtur , ut scenæ suæ inserviat. Unde jam Cainitæ , nefandum illud genus hominum , & gigantes quorum mentio fit in sacris litteris , qui uti ibidem tanquam *fortes , potentes , & viri magni nominis* describuntur , ita pariter grassatores , oppressores & latrones eosdem fuisse ab eruditis observatur : hos autem oppressores sub jugum & imperium redegisse oppressos valde probabile est. Præterea post diluvium *Nemrodes Nochi ex Chamo* pronepos , cum à Patre Chuso partem Arabiæ asperrimam infestissimamque leonibus aliisque feris incolendam accepisset , eximius evasit senator , eandemque artem filios suos & nepotes edocuit : cumque adeo per continua bella contra feras & animo & viribus corporis & armis satis instructi essent ad bellum contra cognatos gerendum , jungente se ex Chami familia audacissimo quoque venandi specie progressi subito in Babyloniam impetum fecerunt , & *Assurem Nochi ex Semo* nepotem , ejusque filios quatuor ex illa Regione excusserunt : sicque *Nemrodes* primus Babylone , Regimen Patrum familia

familias in Regiam, mortalibus ante illa tempora ignotam dominationem convertit, *capitque esse potens in terra & initium Regni ejus Babylon.* Qua de re adiri meretur D. Kerkherdere \* Historiographus Regius Lovanii degens: ex quo inter alia erudite annotata id quoque didici, quod nomen Nemrodus Hebraice significet *rebellatorem*, quo scilicet cognomento à Semitis merito vocitatus fuerit, quod Proavi Nochi mandatis rebellis in aliena terra tyrannidem invenerit: apud suos vero asseclas, quod ipsis auctor fuisset, vitam laboriosam & asperrimam, quam in Arabia desertis exegerant, cum amoenissima vita, qua in Babylonia fruebantur, commutandi, *avi Charv*, id est *pater vita* fuit appellatus, ex quo Græcos, *Evechous* (quod nomen apud Alexandrum Polyhistorum primus Rex Babyloniæ habuit) fecisse non improbabiler dicitur, ab aliis vero impugnatur, cujus litis ceu ad institutum nostrum haud pertinentis, nec hic me participem reddere velim. Sed magis ad rem est, quod & Esauus vir agrestis & venator, moribus itaque Nemrodi similis montanum quendam tractum expulsis veteribus incolis occupaverit, regnumque sibi condiderit, Idumæorum factus auctor & pater. Ut taceam, quæ hic Bodinus \* refert de usitatibus gentium antiquarum latrociniis, Græcorum, aliorumque exemplis hoc ipsum declarans, ex quo latrocini-  
\* In pro-  
dromo Da-  
niel. lib. 2.  
sonatu 1.  
S. 7.  
\* De Re-  
publ. l. 3.  
c. 7.

K 2

mulum

mulum ejusdem conditorem latronum coacta manu alienum agrum occupasse & ita fundamenta ejus urbis, quæ caput orbis & mundi domina futura esset, jecisse constat; cum vero urbi suæ incolas deesse videret, asylum in proximo luco fecisse, unde mira hominum multitudo maxime vero facinorosorum ad eum confluit: Hinc quoque Ætoli apud Justinum Romanos pastores esse dicunt, qui latrocinio justis dominis ademptum solum teneant: quod nec Juvenalis prætervidit *Satyra. 8. ut longe repetas, longeque revolvas nomen, ab infami gentem deducis asylo: majorum primus quisquis fuit ille tuorum, aut pastor fuit, aut illud, quod dicere nolo*, his ultimis verbis latronem innuens. Recte ergo dixeris multis antiquissimarum civitatum vim atque violentiam dedisse ortum, multa ex perverso pessimoque consilio constituta fuisse imperia. \* Utrum tamen una Judæorum Theocratia excepta nullæ præterea ab hominibus piis bono consilio initæ fuerint societates civiles, vel spe beatioris vitæ obtinendæ vel ob metum ne opprimerentur ab injustis potentioribusque infaustis, vel aliis justis de causis, in eo crisin suam artemque exercent, qui historiam profitentur: sane potuisse hoc modo constitui respublicas, dubio caret, nec ea, quæ sunt frequentia, ideo sola sunt aut perpetua; proinde et si verum sit frequenter id accidisse, ut libidine & vi sæpe injusta imperia introducerentur, hanc tamen causam solam fuisse ac perpetuam, neutiquam conficitur nec adduci possum ut credam. Quin potius si civilis societatis indolem atque naturam, humanique ingenii

\* Forster.  
nat. pol. ad  
Tac. p. 254.  
25. 285.

ingenii inclinationes paulo curatius peruestigare velimus, facile comperiemus, variis adhuc causis impelli potuisse homines, ut antea per familias segreges dispersi in civitatem tandem imperiumque ultro etiam nullaque violentia adacti concederent.

3. De impulsivis hisce civitatum constituendarum causis philosophice disceptandi campus sese aperit amplissimus, si ab omni historia mentem abstrahere relictisque iis, quæ in factis consistunt, nudis ratiociniis more antiquorum philosophorum in genesin civitatum indagare placeat; sic enim prout quisque statum naturalem & primævum hominum sibi effinxerit, ita diversa quoque consecutione & illatione civitatibus originem poterit adstruere. Unde provenit illa opinionum diversitas, dum quidam indigentiam & necessitatem solam, quidam mutuum metum & diffidentiam, libidinem imperandi ac nocendi studium alii, ac rursus alii ipsum naturalem appetitum homines ad ineundas civitates impulisse decernunt. Verum cum hoc philosophandi genere plerumque non tam quid revera factum fuerit, quam quid fieri potuerit, demonstretur, non una autem eademque semper, sed variis diversissimisque longe causis impelli potuisse, imo impulsos fuisse homines ad civitates ineundas mox annotatum sit, cujus rei locupletem testem habemus Ciceronem \* proinde \* *Offic. lib.* nihil certi quod ad explanandam vim summi imperii \* in universum apprime faciat, ex his & similibus questionibus erui possit; hinc prætermittis cæteris hanc unam tamen, quæ hic passim tractari solet, nec prorsus

sus est sine præjudicio , pretium erit operæ expedire quæstionem, an nimirum homo ipsa natura, id est appetitione naturali ad societatem civilem ita rapiatur, ut citra eam nec vivere velit nec possit ? de qua sic existimamus rationibus petitis tum ab ipsa conditione humanæ naturæ tum ab indole summi imperii & genio plerorumque hominum. Nimirum homo ipsa quidem natura fertur ad societatem, convictumque expetit; etsi nihil aliorum auxilio egeret, quod communiter argumentis deductis à tædio solitudinis, à sermone, cujus extra societatem nullus foret usus, ab appetitu conversandi cum hominibus & si quæ sunt alia, illustrari solet; verum ex hoc appetitu societatis seu convictus nondum sequitur hominem natura ferri ad societatem civilem, cum hic appetitus per societates, quas vocant primas, abunde expleri queat. Nec vero etiam, quod natura tendere dicatur ad id quod est perfectius, ideo hominis naturam, quæ ad societatem fertur, ad perfectiorem societatis speciem, quæ est civitas, ferri dicendum est; Primo enim an societates æquales societate civili non sint perfectiores merito dubites: imperium certe quod in omni civitate reperitur, & in vi coactiva vel saltem directiva, si ita mavis, consistit, imperfectiorem denotat in eo, qui coactione vel directione opus habet; qua ipsa quoque de causa civitates & imperia in statu integritatis non futura fuisse penitus persuasum habeo, frustra renitente Bœclero \* & Valent. Alberti \*. Deinde hoc axioma, quod natura tendat ad id quod est perfectius, universim verum non est,

\* *Ad Grot.*  
*p. 200.*  
 \* *Comp. 7.*  
*N. p. 209.*

est, maxime vero fallit, si appetitiones & affectiones hominis naturales cum ipsa natura confundas, uti in hac quaestione fieri solet; sic enim si natura intendere id quod est perfectius, homo appetitiones perverfas nullas habere posset, vel si haberet, non essent naturales, quod utrumque est inconcinnum. Sane homo per inclinationes congenitas ad imperium potius fertur, quam ad subjectionem, cum omnia suo agere velit arbitrio, & vix per metum poenarum eo adigit possit, ut imperantibus obsequium praestet, & ferociam, in aliaque vitia, quorum nec simulacra in brutis deprehenduntur, proclivem exuat animum: Porro qui civitati se aggregat, libertatis naturalis jacturam facit, & alieno se subicit imperio, quod jus vitae & necis complectitur, & cujus jussu plurima facienda, à quibus quis alias abhorrebat; bonus vero civis ille dicitur, qui jussis imperantium prompte pareat, & posthabita etiam propria utilitate privata ad bonum publicum totis viribus connititur, quod boni civis officium quam pauci & quam difficulter expleant, nemo rerum humanarum tam est ignarus quin intelligat. Hominem igitur ad societates quidem primas: ex. gr. conjugalem, parentum & liberorum, domesticam & amicorum ultroneus impulit naturæ ductus, & congenitus rapuit appetitus, non vero ad societates civiles & imperia, quæ idcirco cum Hermogeniano *l. s. ff. de J. & J. juri gentium*, id est juri naturæ hypothetico accensemus.

4 Hoc

4. Hoc naturæ jus vim antea non exeruit suam, nisi post subsecutum factum aliquod humanum, insignem scilicet multiplicationem humani generis, qua posita necesse fuit in societatem homines & civitatem coalescere, ipsaque recta ratio satis dictavit, decus, pacem atque incolumitatem humani generis aliter subsistere non posse, nisi constituto imperio sive certo imperandi parendique ordine, cujus tanta vis sive necessitas potius, ut hoc unum fulcrum sit rerum humanarum \* , sine imperio enim nec domus ulla, nec gens nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. Unde Cicero \* nihil tam aptum esse ad jus conditionemque natura quam imperium dixerat. Nimirum ut justitia fiat à singulis, & leges naturæ sponte observentur nemo suspicari potest, qui depravatam hominum naturam intelligit. Ad continendos igitur in officio impios vi cogente seu potestate coercente opus fuit quæ Circæa est illa virga, qua tacti homines mitescunt, quæ è ferocibus *universis, singulos suo quemque metu obedientes facit.* \* Cui consequens est id, quod ab initio hujus capituli indicavimus, scilicet Deum ut Authorem juris naturæ non tantum veluti ex post facto approbasse imperia ab hominibus introducta (quæ est sententia Grotii) sed & imperasse eadem tanquam media ad obtinendum finem legis naturalis pro perverso hominum statu necessaria; quæ voluntas divina conditione tam insigniter multiplicati generis humani perpensa, solo rationis lumine innotescere potuit: Qua de causa summum imperium tanquam productionem juris naturalis

\* J. Lips.  
polit. l. 2.  
cap. 1.

\* 3. de leg.

\* Liv. lib. 6.



turalis recte efferimus. Unde recte quoque dicitur Princeps summum imperium obtinere à Deo, nam non ea tantum à Deo sunt, quæ ipse immediate & citra ullum factum humanum interveniens instituit, sed & quæ homines ductu sanæ rationis pro conditione temporum atque locorum recepere ad implendam obligationem sibi abs Deo injunctam.

5. Illorum vero sententia, qui putant imperium ita immediate transferri à Deo in personam electam à populo, ut in rebus humanis nihil sit, quod causæ secundæ seu immediatæ nomen ferre queat, adeoque majestatem adinstar olei sibi effingunt, quod cœlitus effundatur, aut eam concipiunt tanquam ens quoddam physicum, quod à Deo productum velut incerta sede & sine subjecto per orbem vagetur, donec designato per populum Regi superveniat, eumque Augusto splendore suo circumdet, horum, inquam, sententia, nescio an non parum subtilis rerumque moralium ignorantiam sapere merito quibusdam videatur: Etsi enim in sacris voluminibus multa & obvia sint loca, quæ omnem potestatem à Deo ortam trahere declarant \* : qua de causa quoque imperans vicarius Dei non populi recte dicitur; hæc tamen non aliter intelligenda sunt, quam imperium quidem esse ordinationem divinam, sed propterea in ejus productione non excludi factum humanum. Neque enim Deus quemquam ad Regiæ majestatis fastigium sola sua hominibus manifestata voluntate evehit, sed facto humano, & populi sive reipublicæ interveniente

L

\* *Apud  
Vernule-  
um Insti-  
polit. lib. 1.  
tit. 6. cap. 3.*

ente consensu, qui solus est causa secunda & immediata summæ potestatis, omnisque civilis nexus, & legitimi vinculi inter imperantes & parentes. Planè negandum non est, Deum providentia sua specialiter concurrere tum ad Imperiorum revolutiones, eorumque de gente in gentem translationes (id quod eleganter & erudite demonstrat Bossuetus \* Episcopus Meldensis) tum ad ipsam electionem sive constitutionem personæ ad regimen universi eveniendæ; imo. profitetur Deus se non raro in pœnam hominum corda eorum flectere, ut ineptos eligant Reges, uti videre est apud Isaiam c. 3. v. 4. quo sensu in ira sua Regem populo dare dicitur, & ita sæpius Regem constituisse legitur in pœnam Israelitarum, ut de Jehu & de Nabuchodonosore refertur: \* atque hoc sensu reliqua omnia sacræ scripturæ loca sanctorumque patrum testimonia accipienda sunt. *Vid. Vernul. Instit. pol. l. 1. t. 6. c. 3. ibique cit. Molin. Bellarm. Cajet. &c.*

\* *Discours sur l'hist. univers.*

\* *Vide Bohmer. introd. in jus publ. p. 184.*

6. Cætera quæ in contrarium afferri solent argumenta tanti non sunt ut commovere quenquam debeant. Inprimis enim constitutio illa imperialis de jure imperii, quam ab Alberico de Rosate conservatam recenset Leibnitijs *parte 1. Cod. J. G. Diplom. p. 148. Adeltreiter in Annal. gentis Boica parte 2. lib. 3. §. 38. & Pfef-* fingerus, \* qua declaratur quod *Imperialis dignitas atque potestas sit immediate à solo Deo*, parum evincit: Etenim an ejusmodi sententiæ quæ ad conceptum intellectus spectant, lege publica inculcari possint, dubitare licet:

\* *In not. ad Vitriar. lib. 1. t. 5. pag. 607.*

cet : præsertim cum hæc sententia eis temporibus debeat, quibus si non omnia tenebris erant involuta, certe politiores saltem disciplinæ & hæc præcipue, in qua versamur, parum excolebatur, quod vel eo solo liquet, quod tum temporis supremam imperantium potestatem argumentis è Jure Canonico & Civili depromptis strenue scilicet! defensam fuisse constet à viris ea ætate eruditione clarissimis. Quis & hoc modo, si potestas Imperatoris immediate à Deo proficisci diceretur, Summo Pontifici Imperatorem Ludovicum Bavarum & Imperium acerrime tum exagitantem longe fortissime contradici putabatur \* : Neque enim in illa constitutione aliud quidquam destinato decretum fuisse comperies, quam Summam Imperatoris potestatem non à Summo Pontifice proficisci, nec ab illo dependere, sed eam summam esse & independentem, nemini mortalium sed soli Deo subalternam, vicariam & obnoxiam, quod eo, quem in religione nostra firmiter tenemus, sensu (scilicet reservata Summo Pontifici tanquam Christi & Petri Vicario suprema in Spiritualibus & Ecclesiasticis potestate in Monarchas quoscunque) utique concedendum est: sed utrum consensus populi vel eorum qui populum repræsentant, sit causa secunda, proxima & immediata, potestatis summæ productiva, de hoc quæstio non agitabatur, nec adeo quidquam consulto fuerat decretum. Similem controversiam de Regia potestate olim in Gallia ortam, & constitutionem desuper, qua potestatem Regis Galliæ immediate à Deo proficisci decernebatur, inter

\* *Edm. In-*  
*trod. ad jus*  
*publ. p. 185.*

leges Gallix fundamentales relatam fuisse docet  
 Grammond. apud Thom. \* , quod eandem expli-  
 cationem commode patitur.

*° Fundam.  
 7. N. & G.  
 lib. 3. cap. 6.  
 §. 9. in ad-  
 dit.*

7. Sed instant ulterius adversarii & inquirunt ,  
 quod imperans eligatur quidem à populo & per istam  
 electionem accipiat potestatem imperandi, non tamen  
 à populo , sed à solo Deo. Idque simili aliquo illu-  
 strant de populo , qui olim quidem eligebat mini-  
 strum Ecclesiæ , non tamen propterea eidem potesta-  
 tem illam sacram conferebat , sed minister electus  
 eandem per sacram ordinationem à solo Deo proxime  
 & immediate accipiebat. Similiter mulier con-  
 stituit sibi virum , & simul atque in nuptias consen-  
 sit, ei semper parere necesse habet , potestatem ta-  
 men maritalem ei non confert mulier , sed solus Deus:  
 unde ulterius concludunt , quod sicuti populus in  
 Ecclesia & mulier in matrimonio non applicant po-  
 testatem personæ , sed personam potestati , eo ipso  
 scilicet , dum populus eligit , & mulier in nuptias  
 consentit , ita & populus in societate civili non appli-  
 cet imperium personæ , sed personam imperio , quod  
 conferre scilicet destinavit Deus personæ ita electæ.  
 Verum mancam & hiulcam esse hanc comparationem  
 protinus comperiet , qui rem penitus introspe-  
 xerit. Scilicet animadvertendum est , quod capite  
 sequenti distinctius proponetur , Deum unicuique ho-  
 mini ab ipsa natura duplicem facultatem concessisse,  
 tum in res, tum in actiones suas : porro unusquisque  
 hanc facultatem sive jus, quod jam ante civitatem in-  
 stitu-

stitutam obtinuerat , si voluisset , retinere potuisset ; nec in comitium , vel paucos vel unum id conferre coactus fuisset , sicuti ab antiquis Patriarchis , Abrahamo , Isaaco &c. id extra civitatem retentum fuisse sacrae litterae produnt : jam vero qui in civitatem imperiumque consentit , is naturali hac facultate seposita arbitrium rerum actionumque suarum in alium confert , id est voluntatem suam subjicit voluntati alterius , sive imperantis , in quem tamen non plus juris transfert , quam voluerit ; unde haec quoque imperantis potestas formam , restrictionem , seu limitatem ex ipsa conventionem accipiet. His praemissis facilis est ad objectionem allatam responsio , & manifesta disparitatis ratio ; nam singuli fideles ante electionem ministri non habent potestatem docendi & administrandi sacramenta , uti singuli homines ante institutam civitatem habuerunt jus regendi sui ipsius , idemque etiam si voluissent retinere potuerunt , nec plus juris in imperantem transtulerunt , quam ab initio voluerunt. Porro in arbitrio populi situm non est , potestatem illam sacram ministris Ecclesiae à Deo concessam per conventionem aliquam restringere vel limitare , uti in eorum , qui in civitatem coeunt & certam Regiminis formam eligunt , ab initio situm est potestate per conventionem expressam restringere & limitare potestatem , quam in imperantes transferre volunt. Sic etiam licet mulier virum sibi eligat , & libere in nuptias cum eo consentiat , potestati tamen à Deo marito concessae per conventionem derogare non potest , ideoque dici nequit , quod ma-

ritus proxime & immediate eandem accipiat à muliere, sicuti imperans facultatem regendi civitatem accipit à consensu & subiectione populi. Sane qui comparationi suæ à potestate ministri Ecclesiæ & mariti in uxorem desumptæ omni ex parte pertinaciter inhærentes, ad deliniendos summos Principes illorum potestatem pari prorsus modo proxime & immediate à Deo derivare instituunt, parum abest, quin sub specie pietatis & reverentiæ erga imperantes in Machiavelli & Hobbessii castra transeant, quantumcunque etiam in sententiæ suæ ad hypotheses applicatione cautelam adhibeant; ponunt enim imperantis potestatem immensam, & nullis limitibus circumscriptam, imo quæ ne circumscribi & limitari quidem possit, sicuti potestatem ministri Ecclesiæ & mariti in uxorem nulla conventionem quantumvis expressa imminui aut limitari posse vidimus; atqui hac ratione pacta omnia inter imperantes & subiectos, legesque fundamentales quantumvis juratas unico ictu prosterni & convelli & subditos infra vilium mancipiorum conditionem dejici manifestum est; quod in quantam generis humani perniciem vergat, nemo tam obtusi est ingenii quin intelligat. Hæc omnia clarius adhuc apparitura confido, ubi summi imperii fundamentum & efficaciam ab ipsis incunabulis suis repetierimus.



CAPUT

## CAPUT IX.

## De generatione Summi Imperii, ejusque fundamento &amp; efficacia.

1. **A**rgumentum capitis. 2. De communiione primaria & origine dominiorum. 3. De origine contractuum & commerciorum. 4. Ostenditur quomodo dominium, itemque potestas in servos à Deo derivet. 5. De vi cogente humano generi necessaria: tum de potestate Patrifamilias in domo sua. 6. De modo cogendi patremfamilias ad reparationem injuria in statu aequalitatis: de hujus modi incommodis: tum de origine fœderum, & judiciorum. 7. De generatione Summi Imperii voluntarii sub democratico regimine. 8. De fundamento & nexu civilis imperii in universum, qui in submissione & submissionis acceptatione consistere statuitur. 9. Nec aliud est fundamentum in imperiis violentis, nisi quod hic pactum saltem tacitum, ibi vero expressum interveniat, cujus tamen idem est effectus. 10. Respondetur ad objectionem, & constituitur obligationum differentia. 11. De efficacia summi imperii.

1. **I**mperium, quod etiam potestatis civilis sive majestatis vocabulo nuncupari solet, nihil est aliud quam facultas moralis seu legitima civitatem gubernandi \*. Hæc facultas dubio procul est forma seu anima civitatis, sive (ut cum Seneca loquar) <sup>Grot. de</sup> vinculum, per quod respublica coheret: ille spiritus vitalis <sup>7. B. & P. l. 1. c. 3. §. 6.</sup> quem hac tot millia trahunt: nihil ipsa per se futura nisi onus <sup>De cle- mentia.</sup> & prada, si mens illa imperii subtrahatur. Igitur ut civitas

tas sit civitas , finemque suum , scilicet beatitudinem civilem consequatur , imperium efficit , sive imperandi parendique ordo ; cujus vi uti imperans superior , subjectus vero inferior & necessitate obsequendi redditur adstrictus , ita fit ut homines natura æquales factò quodam superveniente statum induant inæqualitatis , atque hoc satis quidem manifestum est. Verum , unde hæc tanta vis , quæ inter homines natura æquales illis quidem jus tribuit & facultatem imperandi , his vero obsequendi imponit necessitatem , ita quidem , ut qui eam excutere præsumat , tanquam legum Dei & naturæ violator ab humani generis societate exterminari omnium consensu mereatur ? quid est , quod summi imperii vim & auctoritatem tamque insignes prærogativas conciliat ? Ad detegendum hujus rei fundamentum , majestatis origo à naturalibus suis deducenda est initiis ; Ejusque vires expendendæ , progressioque vestiganda , ut nosse possimus , unde in libera civitate orta fuerit ea potestas , & quousque pervenerit : vix autem aliter per tenebricosum hoc & opinionibus obsessum iter libere percurremus ad ea primordia , unde veritas protrahatur in lucem , quam si initio placita hominum circa res illorum potestati permissas , itemque statum rerum humanarum ante respublicas constitutas paulo curatius expenderimus : quo perspecto demum progrediemur vel potius naturali quadam consecutione feremur ad generationem imperii voluntarii , sive expressa conventionione constituti , utpote in quo ipse nexus civilis & vinculum subjectionis , totaque imperii



imperii vis longe clarius sub oculos cadit, quam in civitate per vim & violentiam constituta; ad quam tamen eadem principia applicanda esse postea videbimus. Ut igitur ad rem veniamus

2. Initio certum esse puto, si quæ pacta vel constitutiones de iis rebus homines fecerint, quæ ipsorum potestati à Deo sunt permissæ, hæc procul dubio esse servanda; fortissimum enim societatis humanæ vinculum sunt fides & veritas queis pactorum tota vis sustinetur; & hæc pacta inter homines recte quoque in sensu latissimo vocabis leges humanas. Humanæ autem leges hominibus faciendæ præscribunt, aut res ipsorum ordinant. Ex quo patet ante lapsum hominis vix locum fuisse legibus humanis; nam terra fructus producebat sponte sua, frustra ergo de rebus aliquid disponebatur: cumque etiam omnes homines rationi rectæ suapte natura obedirent, nec ulla mala passio in diversum traheret, frustraneum quoque erat hominibus faciendæ præscribere. Sed postquam homo à primæva illa sanctitate & justitia per peccatum à Creatore suo alienatus fuit, duplicem statim sensit poenam. *Primo* passiones omnes excusserunt freno rectæ rationis: *2do* Deus maledixit terræ; *maledicta*, inquit, *terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi &c.* \* quæ duo mala occasio-  
nem dederunt legibus sive pactis humanis. Ut enim terra sterilis reperta est, à melioribus incepit subigi, cumque pigri eorum labores invaderent & paucorum opera omnibus sufficere non posset, pacto gene-

M

ris

ris humani constitutum est , ut suo quisque labore frueretur : atque ita res è communione primæva in proprietatem iverunt ; quæ quidem communio non fuit positiva quædam , uti plures fingunt , à qua per divisionem recessum fuerit , sed negativa : Id est ante dominiorum introductionem res non ita erant communes uti hodie v. g. in contractu societatis communio est inter socios ; quo sensu res communes à propriis differunt in eo duntaxat , quod hæc ad unam personam , illæ autem ad plures eodem modo pertinent , atque sic nec occupatio quidem locum habere potuisset : fuerunt ergo res communes in sensu negativo , sive *nullius* , id est , res omnes à Creatore ita erant in medio positæ , ut non magis ad hunc , quam ad illum pertinuerint \* Atque hæc est illa communio à qua per primam conventionem inter homines recessum , & constitutum fuit , ut quod quisque ex his rebus in medio positis earumve fructibus apprehendisset ea intentione , ut illud ad usus suos applicaret , id ipsi ab altero non eriperetur ; & huc pertinet *l. 1. §. 1. ff. de acquir. possess.*

\* *Vid. Puffendorf. de J. N. & G. lib. 4. f. 4.*

3. Ex hac porro rerum divisione orti sunt contractus ; cum enim continuo unus alienis rebus & operis indigeret , nec invito domino easdem occupare aut extorquere posset , unum hoc supererat , ut domini voluntas tentaretur ; qui si dabat rem suam gratis , erat donatio , si pro alia re , erat permutatio , si dabat usum retento dominio , erat commodatum , locatum , & sic deinceps. Eadem ratione , cum non omnes

omnes regiones rebus omnibus abundarent, sæpeque quod regio una dabat, altera negaret, opus fuit hominibus permutare bona sua, ut quod uni supererat, alteri vicissim, cui deerat, adderetur; qua commodorum mutua communicatione (quam commercium appellamus) egestas omnium explebatur & regionum exæquabatur disparitas: revera enim commercia inter homines peperit vel inopia rerum, quarum erat apud alios copia, vel egestas operis alieni, unde rerum & operum diversorum commutatione communibus necessitatibus fuit occurrendum. Pari itaque modo, quo res, etiam operæ iverunt in commercium: atque hinc nata servitus, quæ naturaliter non debet esse perpetua, sed potest etiam ad tempus constitui; similiter naturali jure dominus nihil habet juris in servorum res; ut enim ille qui rem suam alteri mancipat, manet suorum actuum dominus, sic ille, qui suos actus mancipavit alteri, manet dominus suarum rerum: Nec eo minus erit servitus perfecta sive plena, modo servus operas suas omnes domino mancipaverit: servitus erit imperfecta, si jus quorundam actuum servus reservaverit sibi; nam hæc omnia formam ex conventionem accipiunt.

4. Ex hæcenus dictis fatiis, puto, apparebit, quomodo uniuscujusque potestas in res suas, item potestas dominorum in servos sit à Deo; duplex enim hæc potestas ex naturali illa profluit facultate, quam quisque tum in res, tum in actiones suas habet, & non aliunde habet, quam à Deo per naturam: Et enim ho-

M 2

mini

mini vi creationis protinus à Creatore datum fuit, ut, quæqua orbis patet, rerum possessionem occupandi & inde earum dominium sibi vindicandi potestatem haberet, uti demonstravimus: porro cum alienatio sit pars dominii, constat, quomodo res quæ jam semel in proprietatem iverat, à primo domino in alterum transferri potuerit, & sic deinceps ad nos usque perpetua catena pervenerit; igitur potestas, quam habemus in res nostras, à Deo venit per illam catenam & dominii propagationem. Simili prorsus modo Deus unicuique jus in suos actus dedit; ergo licet mihi facere quod tu vis, si nimirum hoc ipsum velim; ergo possum ad hoc me obligare, quod nihil aliud est, quam me tibi in servitutem dare, sicque quod antea fuerat libertatis, post illam obligationem fiet necessitatis.

5. Inducta rerum divisione & natis inde contractibus videbatur stare posse genus humanum; nam his duabus rebus occursum erat sterilitati terræ maledictæ, quilibet enim fruebatur fructibus terræ suæ & quod uni vel homini vel regioni deerat, id ab altero per æquas conventiones & commercia obtineri poterat. Verum effectus alter peccati scilicet passionum pravaram effroenata licentia effecit, ut leges dominiorum & contractuum redderentur inutiles; Humanæ enim naturæ vitio à parentum culpa suscepto elata cupiditas omnes hominis corripuerat facultates, è quarum regimine pellebat excludebatque rationem: hac depressa dominans cupiditas suum jus  
viribus

viribus metitur, ut eo usque imperium extendat, quoad vires cujusque perveniunt: Cum enim cupiditate non ratione decernimus, exultant jura corporis tantum, quæ dominium rerum illi addicunt, qui ad capiendum & retinendum vim idoneam habet à natura tributam. Hinc cum neglecta lege rationis exurgeret perversa corruptæ naturæ appetitio, quæ jus unuscujusque dirimebat potentia singulorum, ita ut ea cujusque propria viderentur quæ suæ cuique vires attraxerint; cumque simul avaritia, odium, ira & ambitio similesque perturbationes & pestes humani generis certatim prorumperent, facile eveniebat ut impelleretur iniquissimus quisque, ut non obstante lege proprietatis invaderet res alienas, & fidem conventionem datam frangeret, & insuper aliorum vitam & famam attentaret. Quam ob rem placuit humano generi, ut illi, quos amor justitiæ & virtutis non ducebat ad officium, vi cogentur stare pactis, & metu poenarum averterentur à sceleribus. Vis autem ad hanc rem aliter adhiberi non poterat, quam si *ex. gr.* cogendus vel puniendus erat filiusfamilias aut servus, paterfamilias vi potestatis in domo sua supremæ illum cogere poterat: Hæc tamen potestas non fuit imperium proprie, quod potestatem internecinam quoque complectitur; non enim est in societatum simplicium aliqua imperium proprie, nequidem in Dominica, etiam qua necdum in civitatem transierunt, cum per naturam jus vitæ & necis in privata autoritate locum habere non possit, sed ad hoc vel publica in magistratum collata potestas vel

M 3

plane

plane majestas requiratur: à qua sententia etsi recesserint Romani, id tamen civili potius quam naturali ratione adducti fecisse videntur.

6. Quodsi paterfamilias nollet subditum suum cogere vel punire, tunc ille sese faciebat debitorem tanquam approbator injuriæ, injuria enim comprehendit omne crimen & debitum. Modus autem cogendi patremfamilias erat vel per arbitros, si in hoc consentiebat, si consentire nollet, invitus non poterat aliter cogi, quam per bellum: Ita videmus patresfamilias primis temporibus bello usos fuisse, cum res posceret. *Ex. gr.* Abrahamus cum militibus quos habebat, trecentis octodecim, servis nimirum suis & adjunctis sibi tribus aliis patribus familiarum Mambre Escol & Anner, bellum gessisse legitur contra Reges quatuor. Porro patremfamilias bello cogendi jus naturaliter habebat omnis ille, qui persequebatur injuriam sibi factam & poterat quivis alius ei in auxilium venire, cum nihil æquius sit, quam homini injuste afflicto succurrere. Ille autem mos jus suum bello persequendi multa habebat incommoda; imprimis enim tot erant bella quot lites, summo generis humani malo: deinde lites illæ non decidebantur ex æquitate, sed pro viribus cujusque, & ita fiebat ut imbecilliores paterent ad ómen injuriam potentiorum, quæ res occasionem dare poterat tum foederibus ineundis, tum ipsi summo imperio constituendo: cum enim imbecilles istæ familiæ propriis viribus tutæ esse non possent, cum aliis valentioribus societatem inire

ire & foedus pangere necesse habebant, quo foedere contra vim externam satis sibi consulebant. Hæc conventio civitatem nondum constituit, sed tantum civitatis rudimentum; namque si inter ipsos foederatos lis oriretur, hæc iterum bello terminanda fuit, nulli enim iudici hætenus se subjecerant. Atque ita eveniebat, ut illi qui contra vim externam se conjunxerant, internis motibus & cognatis vitiis consumerentur; quod quia durum, & omnibus foederatis grave erat, (nam universorum intererat singulos non interire) placuit & communi omnium foederatorum consensu statutum est, ut litibus ad comitium relatis de singulorum jure universi judicarent: Tum etiam ut totum jus statuendi de rebus ad salutem & utilitatem communem pertinentibus sit, non penes singulos, sed penes concilium seu comitium ex universis constans, idque in perpetuum; ita tamen ut majoris partis suffragia valeant pro universis, cum non nisi rarissimo contingere soleat, ut magna hominum multitudo circa eandem rem idem sentiat, adeoque manifestum sit, sine hac plurium suffragiorum prærogativa publicis consiliis exitum nullum dari posse. Cum præterea omnibus foederatis commodum non esset, propter quotidiana quævis minorisque momenti negotia expedienda in concilium coire, in id conventum est, ut certi magistratus tanquam delegati constituerentur, qui autoritate universorum quotidiana negotia expedirent: circa gravia mature explorarent, & si quid majoris momenti occurreret, ad comitium referrent; & comitii decreta

creta executioni mandarent , postquam & ad hoc magnus hominum coetus fere mirus aptus est.

7. Atque hac demum conventionem effectum est, ut socii, qui hactenus intra foederis æqualis terminos constiterant, in civilem tandem coalescerent societatem Democratico Regimine gubernatam, civitatis enim constitutio nihil est aliud quam recessus à statu naturali, atqui certe dici nequit eos à statu naturali & æqualitatis recessisse, qui foedere jungebantur, tantum ad externum hostem communiter impetendum vel arcendum, nemini autem adhuc de se suisque rebus disponendi facultatem concesserant: postquam vero hi ipsi foederati mutuo sese pactis obstringentes de novo convenerunt de conjugendis viribus opibusque, & insuper de rebus omnibus ad salutem & utilitatem communem quovis modo pertinentibus statuendi jus contulerunt in comitium, idque in perpetuum, hoc pacto à statu naturali æqualitatis recessum & in civitatem coitum fuisse exinde patet, quod sic omne arbitrium de actionibus rebusque suis comitio singuli permiserint, adeoque libertate naturali deposita eidem comitio servire coeperint, nihil enim aliud est servire, quam de se rebusque suis alteri arbitrium permittere.

8. Hoc tamen serviendi genus honoratiori quodam vocabulo scilicet obsequii nomine, jus autem dirigendi res & actiones obsequentium ad finem communem scilicet ad beatitudinem civilem, non domi-



dominium , sed imperium rectius appellabimus : utrumque autem hoc , tum jus in imperante , tum obligatio obsequendi in parentibus non aliunde quam ab ultronea singulorum subjectione & consensu promanasse ex hactenus dictis sat liquido apparebit spero. Quæ tamen ut adhuc fortius consignentur , cum hucusque de origine & generatione summi imperii voluntarii tantum & quidem in statu democratico nobis sermo fuerit , in compendio & summatim tenendum est quod sequitur , & ad omnes reipublicæ formas applicari potest. Nimirum cum omnis societas ex ipsa essentia & definitione sua sit conjunctio plurium personarum ad certum finem , quem assequi impossibile est , nisi omnium sociorum unitæ voluntates ad illum assequendum æquimode cooperentur , hinc quoque civitatis utpote societatis arctissimæ hæc est natura , ut aliter subsistere nequeat , quam si omnium voluntas una fiat ; quod enim anima est in corpore , hoc est unio voluntatum in civitate : atqui ostendi non potest , quomodo inter personas plures liberas & æquales hæc unio voluntatum ad assequendum civitatis finem aliter induci queat , quam per consensum , quo singuli vires suas & facultates naturales communi cuidam voluntati & publicæ potentia ad universorum tranquillitatem intentæ submittant : hanc porro potentiam in personam aliquam transfundant , quæ multitudinem ipsam referat , qualis est coetus universorum , quem comitium diximus , vel paucorum , vel communis ab uno administrata voluntas. In civili igitur societate unio voluntatum

N

ad

ad præpositum finem & cum hac imperium è consensu & subjectione sociorum sive civium promanavit. Hoc eo amplius confirmatur, quod duo, quæ in imperio spectantur, præcipua, non aliunde quam è consensu subditorum profluxerint. \* *Primum* est titulus, ex quo aliis præstandum quid aut omittendum jure queat injungi, cui respondet obligatio jussibus imperantis obsequendi, quod utrumque ex contractu provenit subditorum. Posita quippe in uno submissione & in altero submissionis acceptatione, statim oritur in illo obligationis vinculum ex propria voluntate, & in hoc jus isti quid injungendi seu imperium, quod tanquam qualitas moralis exinde resultat. Uti enim per pacta jus ad rem nostram, ita & per submissionem jus circa libertatem viresque nostras disponendi in alterum conferri potest: unde si quis *v. gr.* ultro sese in servitutem mihi pacto tradat, revera potestatem herilem in me transfert; id quod paulo ante annotavimus: \* adversus quæ misere hic occinitur tritum illud, quod quis non habet, id non posse in alterum transferri; hoc enim si in productionibus physicis nequidem semper locum habeat, cum ex commixtione plurium corporum diversissimam quandoque speciem provenire & generari constet, quanto id minus obtinebit in moralibus? *Alterum* quod in imperio præcipue spectatur, in eo consistit, quod requirantur vires, queis subjectus, si forte, quod injungitur, detrectare præsumpserit, repræsentatq; aliquo malo seu comminatione pœnæ cogi possit: Atqui certe vires aliorum possidere intelligitur ille,

\* Vid. Puf.  
de J. N. &  
G. lib. 7. c.  
2. in tot.

\* Hoc cap.  
S. 3.

ille, ad cujus nutum vel voluntatem singuli quidquid possunt, applicare & conferre tenentur, ita ut in ipsis non sit potestas jussum ejus detrectandi: dum autem suam quisque voluntatem alterius subjecit voluntati, se quoque eidem obstrinxit necessitate parendi & non resistendi vires & opes ipsorum ad bonum publicum adhibere volenti; apparet igitur illum, in quem imperium conventionem est collatum, tantas accepisse vires, ut quosvis ad jussa sua fini civitatis assequendo destinata quovis modo adigere possit, representata etiam, si lex suprema scilicet salus populi ita postulet, egestatis, exilii, infamiae, ipsaque mortis poena: ut quorum perturbatio propria ratione non reprimitur, alia majori perturbatione compescatur: omnino sicuti ad importunos morbos medicinam adhibemus saepe tristiore, & ubi vulnus fomentis non levatur, ferrum tandem & ignem admovemus. \*

\* *Gravina*  
*Orig. lib. 2.*

9. Firmum itaque manet, fundamentum summi imperii, & quidquid id habet virium non aliunde, quam à consensu civium & propria cujusque submissione voluntati imperantis arcessendum esse. At hic dicet forte aliquis: Hæc vera sunt, si diis placet, & locum habere possunt in imperiis voluntariis, quæ nihil prorsus violentiæ in primæva constitutione sua habent admixtum, quorum tamen vix ulla aut certe valde pauca in historia reperiuntur, cum pleraque imperia violenta, & jure belli fundata, non raro etiam vitiosa habuerint initia *v. g. ex libidine imperandi*

N 2

randi ( quæ & nostra est hypothesis capite præcedenti latius deducta ) næ autem ille oppido ineptus sit , qui & in his imperiis , quando *v. g.* victor sub jugum redigit populum , vim totam imperii ab ultro-nea subjectione populi ad extrema quæque redacti repetere intendat , ita ut sine hoc consensu & submissione spontanea nihil juris sit penes victorem , neque obligatio in devictis ? næ inquam , ille , qui hoc statuat oppido ineptus sit ? sed & deo ; hæc me non movent , ut à sententia discedam , imo denuo affirmo , qualemcunque imperii constituendi modum sive violentum sive voluntarium effingas , ipsum imperii civilis nexum non nisi saltem ex superveniente populi consensu oriri posse. Atque hoc est , quod annotavit Huberus \* scilicet translationem illam imperii non semper adeo liquide clareque multitudinis consensu fieri , sed patientiam sæpe & taciturnitatem longi temporis pro consensu haberi : quando itaque dictum est , multa imperia à violentia & libidine imperandi ortum coepisse , non aliter intelligendum est , quam quod populus non libere & sponte ab initio in translationem consenserit , non vero quod nullo modo , & nequidem ex post facto consensum suum in imperium dederit. Extra dubium enim positum est , quam diu populus adhuc resistit & sola violentia continetur , non posse imperium vires habere morales , sed manere statum belli : In statu autem belli , ubi hostilia omnia utrobique moliri licet , conjunctio seu unio civilis concipi nequit ; Neque enim imperium & obedientia subsistere potest , nisi pax & securitas

\* *De Jure Civ. lib. 1. sect. 2. cap. 5. n. 19.*

securitas ab imperante promittatur , rursusque à subjectis omnis rejiciatur resistendi facultas , quæ durante bello vel maxime competeret. Unde etiam in bellis hoc juris esse solet , ut devictæ civitates statim homagium præstare teneantur , quo ipso consensum suum in subjectionem declarant , sicuti quoque victor eo ipso , quo homagium recipit , declarat , quod devictos non amplius in hostium , sed subditorum numero imposterum habere velit : quo pacto uti in subditis necessitas oritur obsequendi , ita in victore imperante jus nascitur actiones subditorum dirigendi : huicque juri annexa pacis obligatio , cum recipiens populum in suam potestatem omnia illa promississe videatur , ad quæ ex legibus naturæ de pace & securitate præstanda obligatur , sine qua pacis & securitatis promissione societas civilis consistere nequit ; nam sicuti vinculum humani generis tollitur rupta pace , ita multo magis tolleretur vinculum civile , nisi hæc tacite subditis promissa censi deberet. Ut paucis totum complectar : occupata violenter republica , aut manet status belli aut desinit : prius asserere inconcinnum est , uti monstravimus , inter hostes enim quæ conjunctio , quæ societas , jurisque communio ? si posterius , ergo leges pacis vigere necesse est ; Imperans autem dum subditos in statum pacis recipit , hostilitatemque deponit , non potest non quoque securitatem , fidem , & pacem jure naturæ debitam illis ipso facto promittere , neque etiam aliter potuere subditi in subjectionem consentire , quam hac salva : ut ut igitur deficiat promissio expressa,

\* *Introd. p.*  
*spec. lib. 1.*  
*cap. 2. §.*  
*17. & 19. in*  
*not.*

ipsa tamen receptio talem promissionem ex parte imperantis, subjectionemque ultroneam ex parte subditorum tacite complectitur. Ita Böhmerus \* quæ omnia uti in ipsis imperiorum originibus vel acquisitione primæva nunquam non occurrunt, in iis vero quæ jam dudum acquisita vel constituta sunt, non tam proxime ob oculos versantur, ita & ab hebetiori quavis acie facillime prætervidentur. Quamvis introductis etiam imperiis non raro contingere soleat, ut vel in eorum mutationibus vel continuationibus pactum etiam expressum interveniat: in mutationibus uti ex historia Belgica & Helveticæ gentis constat, nec non in lege Regia Romanorum contigit: in continuationibus, quando per electionem, quæ revera est pactum expressum, confertur imperium à populo, vel ab iis, qui populum repræsentant.

10. In omni igitur subjectione & imperio pactum intervenit saltem tacitum inter imperantes & parentes, unde civilis constituitur nexus. Hinc tamen inferre non debebant adversarii perniciosam hanc esse sententiam & infestam sacrosanctæ imperantium authoritati, quippe qua via sternatur subditis ad seditiones excitandas & denegandam imperanti obedientiam, cum facile prætextum invenire possint, se non hac conditione consensisse in imperium, maxime si imperans manifesto injuste quid decernat: longe securiorem esse illam sententiam, quæ originem imperii à Deo immediate derivat, cum hoc modo,

modo subditi citra consensum proprium , ex voluntate Dei ita obligentur imperanti , ut etiam sub lege patiendi ejusdem injurias contineantur. Ad hæc respondemus primo falsum esse & æque perniciosum ad Machiavellismum declinans principium , quod majestatem prorsus illimitatam à Deo derivat , id quod sub finem cap. præcedentis ostendimus. Secundo , undecunque derivetur imperii majestas , sive à Deo sive ex pactis , nihil derogari authoritati imperantium , cum satis certum sit etiam hoc sensu propter conscientiam imperantibus esse parendum , quia simul in rebus publicis concurrat ordinatio divina tum sacre scripturæ tabulis consignata , tum ipso rationis lumine manifestata ; cum imperium sit res nobilissima ad obtinendum finem legis naturæ apprime necessaria , uti capite præcedenti demonstravimus , igitur qui imperanti resistit , Dei quoque ordinationi resistit. Deinde abstrahendo etiam ab hoc ordinationis divinæ vinculo , nihilominus sacrosanctam & inviolabilem manere summorum imperantium potestatem , tametsi eam à consensu populi originarie perfectam dicamus , apparebit tum ex dicendis , tum etiam ex eo potissimum , quod etsi ex submissione populi & submissionis acceptatione reciproca oriatur obligatio , tum in imperante , tum in subjectis , hæc tamen obligatio non ejusdem sit naturæ respectu utriusque partis paciscentis : sed respectu imperantis coactionis externæ nescia , ex parte subditorum vero perfecta. Quod ut intelligatur , notandum \* quod obligatio naturalis , quæ ex pacto

\* Vid. sup.  
pra cap. 1.  
§. 2. & 5.

oritur fit duplex, una efficax, altera inefficax : posterior ita vocatur, quia conscientiam debitoris afficit solam, alteri vero nullum jus exigendi & exequendi tribuit, qualis est obligatio domini & patris aliquid promittentis servo & liberis, item obligatio ad remunerandum. *L. 25. §. 11. ff. de pet. hered.* Obligatio naturalis efficax est, quæ non modo debitorem tenet adstrictum, sed etiam creditori jus exigendi exequendique tribuit; & talis oritur ex conventionibus omnibus initis inter eos, qui se non habent, ut subjecti & imperantes, nec eidem summæ potestati subsunt, nam si sint cives ejusdem civitatis, interdum contingit, ut efficacia agendi quibusdam conventionibus à lege detrahatur, uti videmus de pacto nudo in Romano jure. Igitur sola posterioris generis obligatio scilicet inefficax oritur ex pacto illo, quod in ipsa subjectione implicite continetur: Enim vero dum populus in civitatem concedit, & alterius arbitrio se submittit, tunc omne jus cogendi & resistendi, quod ei in statu naturali competeat, à se abdicat, eique renuntiat; quia si imperans externa coactione teneatur subditis, iisdemque jus indulgeretur resistendi, populus eatenus haberet imperium in ipsum imperantem vel saltem eidem par esset, quod cum statu civili & arctissimo imperii nexu pugnare manifestum est, cum ita rursus status naturalis æqualitatis emergeret, cui semel renuntiarunt; Neque tamen eo ipso tollitur vinculum inter imperantes & subditos etsi inæquale sit; nam obligatio hic quidem adest, sed vim coactionis amittit propter subditorum renuntiationem.

II. Quid



11. Quid si autem Princeps injuste fines Civilis Facultatis excedat, fidemq; postponat publici foederis, privataq; utatur naturæ facultate, quam ad salutem communem applicari oporteret? justum tamen erit, cives obtemperare Principi, cum alia ratio tranquillitatis publicæ non pateat; Nam si Principis vim majori vi coercere vellent, hortariq; singulos ad repetendam è Principis manu suam cujusq; facultatem, res rediret ad corruptum naturæ statum, omnium pessimum, nempe ad bellum & discordiam, quo resolvimur quoties obstitimus facultati publicæ traditæ. \* Cum igitur, si ante illatam alicui à Principe injuriam singuli rogarentur, an tali casu cuiquam eveniente mallent Imperium commune dissolvi, quam injuriam perpeti, utiq; non cunctarentur patientiam præferre & inculcare, cum alioqui vix unquam turbandæ societatis & reducendæ primævæ confusio- nis, ad quam evitandam in civitatem coiverant, causa deesse posset; hinc quod in thesi quisq; faciendum censuit, id in hypothese nemo amplius improbare poterit. \* Cui fundamento quoq; innititur regula, quod res judicata pro veritate habeatur, & quod Magistratus, etiam cum iniquè decernunt, jus dicant, uti habetur in *L. Servo 65. §. Prator ff. ad Senat. Conf. Treb.* in hoc enim omnes & singuli cives in thesi consenserant, ut sententiis sive æquis sive iniquis, à quibus provocatio non daretur, parerent, cum alioqui nullus litium esset finis, pejorq; futura foret confusio, quam ante Rempub. constitutam, adeoq; propter tranquillitatem communem conservandam, præster à paucis ex-

\* Grav. Orig. lib. 1. §. 106.  
\* Huber. de jure Civ. lib. 1. f. 2. cap. 3. n. 37.  
cusatio-



*castrationem etiam justam non recipi, quam ab omnibus aliquam sentari.* Hinc quoq; fluit, quod si qua lex in civitate adversus singulos quandoq; durior videatur, is tamen, in quem illa durities redundat, non habeat conquerendi causam, quia pridem in id consenserat, ut, si cui tale quid eveniret, esset hoc ferendum propter salutem & utilitatem communem, quæ salva esse non posset, nisi ratio ejus vinceret utilitatem privatam: quod pertinet illud Taciti, quod *omne magnum exemplum habeat aliquid ex iniquo, quod utilitate publica rependatur.* Sed ne vitæ quidem rebusq; singulorum propriis boni communis causa parci velle videri debent cives: In hoc enim pulcherrima generis humani consensus relucet, ut tanto quisq; melior civis reputetur, quanto libentius vitam opesq; pro Patria sua

*Vid. Grot. exponit.* \* Proinde tali casu eveniente, ei in quem sors incurrit, non fit injuria, quod absq; suo merito patiatur malum; in *P. lib. 1.* hoc enim cum aliis consensit. Ex his itaq; concludendum est, *cap. 4. §. 7.* summi Imperii originem, fundamentum & quidquid habet effi-

ciaciam, è subditorum consensu vel tacito vel expresso non inepte accersiri: Cui sententiæ utpote inter Machiavellistarum & Monarchomachorum monstrosas Hypotheses mediæ, præter alios multos in hoc disciplinæ genere versatissimos Gravina quoq; Italus in suis originum libris, sub auspiciis Clementis XI. Pontificis Maximi in lucem editis, (à me subindè citatis) subscribere non est veritus: \* Cui igitur tantò liberius ac tutius accedere mihi quoq; licere ratus sum, maxime cum & eadem principia in celeberrima Universitate Lovaniensi ab eruditissimo quovis publicè privatimq; tradita ipsemet hauserim & imbibierim; sicut & eadem ibidem publicis disputationibus ac typis

\* *Lib. 1.*  
*S. 104.*  
*Lib. 2.*  
*S. 17. §. 18.*

*Vid. Thef. de leg. nat. Barvrens de Orig. Rsump.* pervulgata commonstrare primum est, si res postulet: \* Quod quidem hic indicare volui, non ut fundamentis sententiæ meæ diffusus, in autoritate patrocinium quaererem, sed ideo solùm, ut patefiat hominibus etiam leviter tantùm eruditis, ad cavillos tamen & argutias pronis, hæc quibus me imbutum publicè hic profiteor, principia, à nostræ quoq; religionis hominibus & Academiis non esse aliena.

S. D. G.

COROL-



# COROLLARIA

*Ex Jure Naturæ Gentium, Publico Universali, & Particulari Reipublicæ Germanorum.*

1. **J**us Naturæ non est dictamen rationis, sed Lex Dei mentibus inscripta & per rationem manifestata, perpetua, immota, ac immutabilis; quæ non ex utilitate aut potentiâ, sed unice ex voluntate Dei vim sortitur obligandi, & facultatem tribuit agendi.

2. Hanc porrò voluntatem Divinam vel præcipientem vel vetantem ex eo cognoscimus, si actus, de quorum præcepto vel prohibitionem quæritur, ita sint comparati, ut pacem, tranquillitatem & felicitatem externam humani generis necessariam aut conservent aut evertant: quam adeo propositionem fundamentalem sive genium principium cognoscendi juris naturæ esse credimus: Illud verò Cardinalis Pallavini apud Glettle in *Jurisp. fund. tit. 2. cap. 2. §. 3. n. 10.* inevidens & inadæquatum esse existimamus. *Vid. in Thes. cap. 6. §. 4.*

3. Non datur Jus Gentium voluntarium distinctum à naturæ jure: igitur quæ huic juri communiter accensentur, vel ad ipsum jus naturæ, vel planè non ad jus quoddam, quod vim habeat obligandi, referenda sunt. *Vid. in Thes. cap. 7.*

4. Quod est actio in Civitate, hoc bellum est extra Civitatem inter Gentes in statu æqualitatis viventes. Quo fundamento posito varia consequuntur; nam sicuti teste Cicerone *pro Q. Rosc. Com: ex uniuscujusq; damno, dolore, incommodo, calamitate, injuriâ, omni civilis & forensis actio expressa est*, sic pariter dicendum, bellum solummodo esse remedium coactivum ad doloris, injuriæ, damni &c. reparationem, & ob has solum causas justè suscipi. Atq; hinc patet, quid sentiendum de justitiâ belli ex capite solius infidelitatis aut idololatriæ adversus infideles movendi.

5. Sicut porrò actio in civitate competit ad id solum, quod cujusq; interest, consequendum & non ultra, sic pariter in bello justo tantum saltem ritè acquiritur, quantum acquirenti debebat hostis, ut illi utpote læso fieret satis, computatis insinual expensis in bellum factis: ad quam æquitatis regulam (etsi mores gentium nimium quantum inde recedere palam sit) attemperandum est commune illud effatum, quod bello semel cepto omnes utriusque partis fortunæ quasi per tacitam conventionem alex martis subjiciantur.

6. Cum præterea ipsius socialis naturæ jussu sit, ut bellum geratur propter pacem, neq; aliter belli auxilia quærere liceat, quàm si pars læsa jus suum salvâ pace adipisci nequeat: hinc solennem quidem clarigationem ad justitiam belli jure gentium non requiri persuasum habeo, ipso tamen naturæ jure prævit satisfactionem

esse reparationem injuriæ & damni peti oportere, & hac denegatâ demum ad bellum progredi licitum esse prorsus existimo: maximè cum & alias bellum latrocinii potius, quàm judicii per vim certantium speciem præferret.

7. Tralaticium est in jure privato, contractus atque omnes metu extortos vel esse nullos, vel rescindi saltem posse, id quod ad pacta gentium ætenuam extendendum censeo; hæc enim, ut ut per vim bellicam metuq; gravi extorta, firma tamen rataque manere debent: cujus rei dispar ratio inde maxime petenda videtur, quod vis omnis metusque in civitate à privato incussus in se contineat injuriam, quæ jus parere non potest; cum econtra de justitiâ vel injustitiâ metus incussi inter gentes non nisi solus Deus judicare possit, coloribus juris utriusque parti in bello vix unquam deficientibus.

8. Pervulgata divisio est Regnorum in patrimonialia sive proprietaria, & usufructuaria sive fideicommissaria, uti quidam malunt; quam quidem divisionem omnino admittendam puto, ita tamen, ut qui rem totam per alienabilitatem vel inalienabilitatem conficere & definire sibi videntur, committant fallaciam circuli & nihil dicant. Puto ergo illa Regna esse patrimonialia, non quæ alienari possunt, sed quæ talia populus esse voluit in primâ Regni delatione: Præterea, cum conceptus Dominii & Imperii separati prorsus sint, & Imperium tanquam jus dirigendi cum potestate cogendi actiones subditorum, suâ naturâ non inferat potestatem alienandi, nisi per conventionem addatur, hinc in dubio Regna non pro proprietariis habenda esse existimo, adeo ut nec inter modum acquirendi Imperii violentum vel voluntarium distinctio facienda videatur. Vid. Thomas: *In Notis ad Ulr. Huber, de Jure Civit. Lib. 1. sect. 3. Cap. 2. §. 19 sub lit. K.*

9. Cuinam jus summi Imperii in quâvis civitate competat, ex accuratâ subjeçti proprii cognitione condiscendum est, minimè verò ex modo habendi imperium: hinc qui regnum tenet jure usufructuario sive fideicommissario, non minus summus Imperans dicendus est, quàm qui illud tenet jure pleno proprietatis: qui per electionem, non minus quàm qui per sacceptionem.

10. Sicut etiam summum Imperium habere potest is, qui inæquali fœdere tenetur, & qui stipendium pensitat, & qui nexu feudali alteri conjungitur, si juramentum fidelitatis tantum, non etiam subjeçtionis præstet.

11. Dari potest Monarcha temporarius, cujus tamen exemplum in Dictatore Romano malè quæritur, cum ab hoc provocationem ad populum datam fuisse nos Livius edoceat. Econtra summus Imperans dici nequit, cui Imperium sub lege commissoriâ est delatum, ut si malè regnaret, Imperio caderet.

12. Facultas resistendi pugnat essentialiter cum summo Imperio & subjeçtione: hinc Imperanti etiam duro, impio ac infideli subditi nihilominus parere debent, quod exemplo veterum Christianorum egregiè confirmatur: neque aliud de magistratibus, qui respectu imperantis nil nisi privati & subditi quoque sunt, dicendum est.

13. Deo tamen potius obediendum quàm hominibus, hinc si manifestè constet mandatum Imperantis esse iniquum, legibus Dei & naturæ contrarium, tum obedientiâ à subditis negari non tantum potest, verùm etiam debet.

14. Hoc tamen præceptum, quod subditis faciliè ansam præbere posset ad seditionem

tiones excitandas, cautè accipiendum est, & neutiquam applicari potest, si in *ju-bente* tantum sit iniquitas, non etiam in *exequente*: Sic evenire potest, ut Princeps ini-que extorqueat à subditis tributa, in quorum solutione nihil iniqui latitat, & hoc casu iterum obediendum est.

15. Extendit quoque hæc obedientia se ad ea, in quibus subditi in ipsâ Imperii delatione Imperantis potestatem & summam libertatem conventione expressâ restrin-xerunt: sic enim si Princeps postea contra fidem pactorum agat, injurius quidem est in subditos, sed conditio subjectionis necessariò pugnans cum facultate resistendi facit, ut nec hoc casu Principem ad standum pactis cogere, & obedientiam excutere possint, nisi in delatione Imperii expresse hæc clausula fuerit adjecta, ut si pactis non stare, Im-perio caderet.

16. Aliud tamen statuendum puto in Republicâ mixtâ, ubi jura Majestatis Con-cilio cuidam seu Comitio communicata sunt; In hac enim si Princeps jura commu-nicata comitio eripere & sibi soli arrogare intendat, quin comitium vi defendere jura sua possit nullus dubito: cujus rei differens ratio à casu præcedente assignanda erit.

17. Sed utroque casu si tertius guarantiam, uti vocant, horum pactorum in se suscepit, *ex. gr.* ponamus Imperantem promississe subditis, se privilegia certa ipsis non erepturum, hu usque promissi guarantiam ab extero Principe fuisse susceptam: hic Princeps poterit subditos defendere vel potius ipse vim adhibere ut promissum ser-vetur, & privilegia non eripiantur.

18. Quidsi autem postmodum subditi delinquendo forte se hisce privilegiis indi-gnos reddant, an tum saltem iisdem privari poterunt? Sane verò iisdem privari, nec guarantiz tamen beneficio eos defendi posse existimo, nisi hic etiam casus in con-ventione cum subditis & in guarantiâ fuerit expressus; nec enim jus animadvertendi in facinorosos hoc ipso à Summo Principe abdicatum fuisse videri debet, dum extero facultatem dedit, subditos in casu, quo privilegia eriperentur sine causâ, de-fendendi: unde jam judicium forte aliquod in causâ Thorunensi depromi poterit.

19. Utrum in Imperiis liberâ voluntate populi delatis Imperans invitis etiam subditis Imperio abdicare possit? dubitant nonnulli: ego, nisi contrarium expres-sè conventum sit, Imperantem hac ex parte libertate suâ uti posse existimo.

20. Longè majori concertatione disceptari solet, an & quomodo derelictio Imperii five renuntiatio noceat posteris tum natis, tum nascituris? quæ res ita ex-pedienda videtur. Nimirum hic summa attentione distinguendum est inter summos Imperantes, & privatos cives, qui alieno Imperio reguntur: In lineali successio-ne, ubi Regnum liberis natis & nascituris ex primâ Regni institutione defertur, Patris factum Filio nocere non potest: quia simul atque existere ceperunt liberi, jus proprium est quæsitum eis ex Lege Regni fundamentali: imo nec nascituris, quia impediri non potest, quin ad illos quoque suo tempore jus pertineat ex po-puli dono: sane Pater jus regnandi in liberos transmittet, sed ea transmissio vo-luntaria non est, imo aded necessaria, ut à Patris voluntate non pendeat.

21. Illud interest inter natos & nascituros, quod nascituris nondum quæ-situm sit jus, atque ideo spes adipiscendi, ubi nascentur; Regni, auferrî possit populi voluntate, si etiam parentes, quorum interest jus ad filios transire, jus  
illud

illud remiserint ; quia ejus qui nondum natus est , nullum est jus , sicuti nec *ultra* sunt accidentia rei non existentis ; quare si populus , à cujus voluntate jus regnandi proficiscitur , voluntatem mutet , iis , qui nondum nati sunt , ut quibus jus quæsitum non est , nullam facit injuriam : mutatâ igitur populi voluntate , neque tum existente eorum jure , qui expectari possunt , parentibus autem , è quibus nasci possunt qui jus eo tempore essent habituri , idipsum jus derelipientibus , nihil obstat , quo minus in alienam familiam transferri , aut ut derelictum ab alio occupari possit. GROTI. *de J. B. & P. lib. 2. c. 4. §. 10. Item lib. 2. c. 7. §. 26.*

22. Sed Privatorum alia longè causa est : Summorum Imperantium conventiones jure naturæ reguntur ; ut enim Princeps alium potest lege solvere , ita & semetipsum actusque suos potest , id quod in dubio fecisse credendus est , ne videatur ludere. At privati reguntur non jure tantum gentium , sed & legibus civilibus , quæ e. g. in fideicommissis , eorum , qui nondum nati sunt , personam sustinent , impediuntque , ne aut jus jam natis , aut obtinendi aliquando fideicommissi spes nascituris eripi possit , adversus quas leges civiles privatorum cautiones nihil possunt.

23. Respublica Romano - Germanica non est Monarchia pura , neque etiam limitata , uti quidam volunt ; sed cum ultima analysi negotiorum publicorum non fiat in solum Cæsarem , nec etiam in solos Status , & sic jura Majestatica non resideant apud Imperatorem solum , nec apud solos Ordines , hinc mixtus in Imperio nostro emergit status , quem simul *§. gaudeant J. P. art. 3.* fat liquidò evincit : quem tamen statum vellicare & monstrosam appellare , bono civi & patriæ amanti religio esse debet.

24. Differt tamen hæc Reip. forma quàm longissimè à systemate civitatum , quod qui in Imperio nostro statuunt , adeoque singulis Imperii Statibus Majestatem tribuunt , hi nimio partium studio abrepti Remp. Germanorum centumcipitem reddunt & propriâ majestate laborantem , nec non aperte unitatem Imperii divellunt.

25. Falsa quoque est & exorbitans illorum hypothesis , qui ut scenæ suæ inserviant , comminiscuntur , extinctis Carolingis non Status ab Imperatore , sed Imperatorem à Statibus in consortium Imperii fuisse admissum : cui fundamento conclusiones juribus Imperatoris infestissimas inniti perspicuum est.

26. Econtra vera est illa Lampadli regula , quod Imperatoris potestas adhuc ad omnia se extendat in Imperio , quæcunque ex naturâ summi Imperii fluunt , & vel pacis expressis potestatem summam limitantibus , vel observantiâ non reperiuntur restricta.

27. Capitulatio Cæsares ineptè cum Lege Regiâ Romanorum comparatur & per hanc definitur.

28. Utrum Imperator solus de causis feudorum Regalium cognoscere , sententiamque dicere queat , utrum verò in iis dijudicandis Pares curiæ in Consilium vocare eorumque judicio illas definire teneatur ? Anceps est quæstio , quæ disputationis causâ & ad exquirenda aliorum judicia problema esto.

29. A cognitione in controversiis feudorum Regalium ab Imperatore excluditur Camera Imperialis in utroque judicio tum petitorio , tum possessorio.

30. Etsi Imperiali sede vacante Vicarii Imperii de Feudis Regalibus investire nequeant

nequeant per *A. B. cap. 5. §. 1.* Litium tamen de his feudis pendentium vel exorientium cognitionem iisdem competere existimo.

31. Cum jus puniendi in civitate non pertineat propriè ad aliquam justitiæ speciem, sed ad prudentiam reſtricem; & pœnæ humanæ ad exemplum potius, quàm ad vindictam sint inventæ, hinc tum summis Principibus, tum etiam Statibus Imperii, in homicidio etiam doloso, jus aggratiandi competere existimo.

32. Statibus imperii vigore superioritatis territorialis competit jus dandæ civitatis.

33. Si subditi pactis expressis in consortium Imperii ab Imperante admitti possunt, cur regalia ab iisdem præscriptione acquiri non possint, ratione destitui mihi videtur.

34. Testamenta Imperii statuum etiam destituta solemnitatibus Juris Civilis nihilominus valida sunt, & indistinctè quidem, tum inter liberos & subditos, tum inter alios Principes & constatus, & hoc de jure; quanquam negandum non sit, defacto longè tutius, adeoque & suadendum potius esse Principibus, ut testamenta sua modo indubiè valido conficiant, ne in sententiarum & opiniorum diversitate quandoque evenire possit, ut talia testamenta pro invalidis in supremis judiciis judicentur. Vid. KLOCK. *vol. 3. Consil. 102. n. 97.*

35. Id quod de Electoribus per *A. B. Cap. 25.* expressè provisum, ut in iis jus primogenituræ locum habeat, neutiquam porrigendum est ad ceteros Principatus, Ducatus, Comitatus in Imperio nostro: Igitur qui ad indivisibilitatem & primogenituram in feudis regalibus provocat, illam vel pacto vel consuetudine introductam probare tenetur, nequidquam obstante Constitutione FRIDERICI 2. *feud. 55. §. 1. v. præterea, & d. capite Aur. Bul.* sententiam nostram confirmante potius, quàm infirmante.

36. Principes & Status Imperii sive succedant jure hæreditario, sive jure proprio v. g. per electionem vel ut agnati, indistinctè tenentur stare pactis & reversalibus antecessorum suorum: sicut etiam ad æs alienum à prædecessore contractum exsolvendum eosdem obligari existimo. KLOCK. *tom. 3. Consil. 155. n. 113.* TITIVS *3. Publ. l. 4. cap. 5. §. 14.* MYLER *Nomcl. cap. 14.* BERGER *de Jure fisci in quæst. dubiis §. 44.*

### *Ex Jure Canonico, Feudali & Civili.*

37. Obligatio jurisjurandi etsi sanctissima, accessoria tamen est tantum; Igitur si Lex Civilis actui cuidam principum dans validitatem, ipsamque facultatem moralem subtrahat, actus ille ita enervatur, ut ne juramento quidem firmari possit; nec enim validum esse potest jusjurandum, quo quis jurat se non servaturum, quod antea juravit: jusjurandum autem civis in leges civitatis cæteras obligationes omnes contra leges antevertit. Neque hic distinguendum puto inter obligationem religionis & justitiæ.

38. Credere fas est in sponsalitiâ stipulationem licere deducere id, quod interest, cum hoc ipsum jure naturæ debeat: quæ vero stipulatio ejus, quod interest, stipulationem admittit, eadem & pœnam admittit *§. fin. Instit. de V. O. L. fin. ff. de Stip. Pret.* hinc cur in sponsalitiâ stipulationem pœnam deducere non liceat, conjecturâ adsequi non possum.

39. Qu;

39. Qui plebejam duxit, quam nobilis cujusdam certi, sibi non ignoti, filiam existimaverat falsò, non rectè prohibetur alienis nuptiis animum addicere.

40. Clericus coram Judice Laico nec in actione reali conveniri, nec aliàs etiam reconveniri posse, de jure Canonum probabilius videtur: cui ipsi tamen per consuetudinem contrariam derogari potuit.

41. Potest tamen Clericus conveniri coram judice Laico, si jam lis sit cœpta, & Clericus sit successor universalis: sicut etiam Clericus venditor emptorem Laicum coram judice laico defendere tenetur ob evulsionis causam.

42. Nec minus in causis feudalibus judicii cum petitorii, tum possessorii coram domino feudi et si laico conveniri potest ac debet.

43. Successor in prælaturâ expectativam conditionalem à prædecessore suo cum consensu capituli datam etiam tunc adimplere tenetur, quando feudum jam mortuo Prælato promittente successorii fuit apertum.

44. Vassallus feudum sine consensu Domini vendens etiam ante actualem traditionem eodem privari potest.

45. Dominus feudo sibi per defectum lineæ aperto, subinfeudationi antecederet factæ stare non tenetur, etiam si Subvassallus ad eadem, ad quæ prior, servitia habilis & paratus sit.

46. Feudum etiam conditionatum sine consensu Domini refutari potest.

47. Refutatio etiam in manus domini, certæ tamen personæ intuitu facta jus refutantis non extinguit.

48. Juxta communes usus feudorum Longobardicos nemo succedit in feudo tam novo quam antiquo, nisi qui descendit à primo acquirente: hinc agnatus collateralis allegans consuetudinem succedendi auf *Schild und Helm*/ eam solidè probare tenetur.

49. Non fuit ex naturâ feudi quantumvis oblato, ut dominus directus salvâ sibi tertiâ feudi parte ad residuum oppignorandum ex certis quibusdam causis v. g. elocationis filiarum &c. Vassallo consentire, & aperto feudo creditoribus satisfacere teneatur: neque constitutionibus feudorum hoc reperitur definitum: Igitur & hinc alleganti consuetudinem in contrarium probatio incumbit.

50. Vulgò æquitatem juri opponunt; non rectè, uti videtur; nam jus est, quod scripto comprehensum est, quasi jussu dicas: æquitas sive æquum & bonum est, id, quod legem sensisse & voluisse intelligimus: neque æquitatem distingui velim ab interpretatione, quæ & ipsa nihil aliud est, nisi ea virtus, quâ insuper habitis verbis legis indagamus mentem & sententiam legislatoris, quæ in ducendâ interpretationis regulâ dominatur & totum facit.

51. Igitur si satis quidem constet de voluntate Legislatoris, ea autem minus æqua videatur judici, inde tamen in judicando recedere permissum non est; cum exemplo perniciosum sit jus certum privato ausu convelli & labefactari. Et qui iudices relicta mente & sententiâ legis neglectâque voluntate legislatoris, æquitatem è proprio cerebro depromptam in judicando sectari, sibi licere persuasum habent, illi profectò dum egregii forte legumlatores futuri fuissent, pessimi cives habendi sunt dum semetipsos supra leges censendo, in jura Majestatis apertè involant.

§ 2. Hinc



§2. Hinc falsum esse patet, quod à quibusdam circumfertur, scilicet contractum jure validum, judicis officio rescindi quandoque posse; nec enim judicis officium aliquod esse potest, ubi leges & jura resistunt. Sed hi se decipi passim sunt, dum differentiam juris antiqui XII. Tab. à novo & Prætorio jure non satis intellexerunt.

§3. Circa materiam obligationum in jure Romano hæc teneo principia. Nimirum conventio est duorum vel plurium in idem placitum consensus: Conventionis duæ sunt species, nuda & non nuda: conventio nuda nihil est nisi pactum nudum, si-ve quæ nihil habet præter conventionem: non nuda est, quæ adhuc aliud quid, continet, si-ve quæ habet nomen à lege vel causam. Pactum *usitatum*, uti vocant, commentum est glossatorum, in jure incognitum. *Nomen* est, quod cuique contractui à lege datum est, v. g. emptionis, locationis &c. *Causa* dicitur, cum datum aliquid est aut factum: ubi ergo nomen & causa defunt, nuda conventio manet, nec contractus dici potest: v. g. dabo ut des, pactum nudum est: hoc verò negotium, do ut des, cum datum aliquid est, contractus innominatus est. *Substantialia* contractus sunt, sine quibus is nec esse nec concipi potest, v. g. in emptione, consensus, merx & pretium: *Naturalia* nihil aliud sunt, quàm substantialia, quod si enim natura & substantia idem sunt, naturalia quoque & substantialia idem sunt oportet: ea verò quæ naturalia vulgò vocant, adminicula appellat PAPINIUS L. 72. ff. de contrah. empt. quasi fulcra, quibus contractus facilius sustinentur, ut est v. g. evictionis obligatio in emptione.

§4. Contractus bonæ fidei dolo initi nulli sunt jure civili id est XII. Tab. cum interpretatione prudentum: sicuti contractus stricti juris nulli sunt jure Prætorio. Nec aliud quidquam in contractibus metu extortis obtinere nos Cicero docet *lib. 1. Offic.* ubi inquit: *jam illis promissis non standum esse quis non videat, quæ eoactus quis metu, quæ deceptus dolo promiserit? quæ quidem pleraque jure Prætorio (in stricti juris contractibus) liberantur, nonnulla legibus, ut in bonæ fidei judiciis.*

§5. Et si autem contractus bonæ fidei dolo initi ipso jure nulli sint, venditor tamen dolo inductus dominium rei venditæ transfert in emptorem etiam fraudulentum & dolosum: adeoque rei vindicationem non habet, sed tantum actionem personalem ad id quod interest.

§6. Si quis ex venditione rei merx, stultum forte emptorem nactus, pecuniam justo pretio ampliolem redegerit, negant me rei dominum hanc pecuniam, si quid justum pretium excefferit, posse persequi; atque in hanc rem (verbo sit venia) contaminarunt decreta Romanæ prudentiæ ex ipsâ naturâ expressa. Quid ergo est? Si rem meam vendideris, egoque rei vindicationem amiserò, forte quia res in-teritit, aut ufucapta esset, aut quia venditionem ratam habui, æquum arbitror, ut ad me redeat omnis quantumvis ampla pecunia, quam ab emptore rei merx consecutus fueris. Adversus HUE. GROT. de L. B. & P. l. 2. c. 10. §. 3. & 8.

§7. Communiter statuunt in venditione id agi, ut merx tradatur, quod facti est, nam tradere est facere: in permutatione porrò id agi, ut res detur, id est, ut dominium transferatur; quapropter negant venditionem contrahi cum id agitur, ut pro pecuniâ Stychus detur per L. ult. ff. de condiç. causâ datâ esse. Sed hi non satis perspicere viden-

videntur vim & potestatem venditionis; eo enim solo casu venditio contrahitur, cum pecuniam damus, ut res nobis detur, Ad. d. L. ult. quæ graviter obtare videtur, ar ridet interpretatio Clar. Viri GERARDI NOODT *Probabilium juris lib. 4 cap. 4.*

58. In faciendi stipulationibus tantum abest, ut invito debitori factum extorque-ri possit, ut ne ipsum quidem factum in obligatione versetur. Ergo stipulatio facien- di, aut potius ipsa facti æstimatio est dividua, id est, si is, qui factum debuerat, de- cesserit pluribus hæredibus relictis, neque fiat quod fieri debuit, singulis non extor- quebitur, nisi pars æstimationis facti, quod stipulatio comprehenderat.

59. At servitutis stipulatio, aut potius servitutis debitæ æstimatio est individua: Finge, qui servitutum debuerat, decessit pluribus hæredibus relictis, si illi servitutum non præsent, vel ab uno solidam servitutis æstimationem consequetur actor.

60. Dominium rei pignori datæ, utpote quam creditor non proprio sed debitoris nomine possidet, nullo temporis spatio præscribi potest; sicut nec actio personalis pignoratitia, quæ nondum nata est ante solutionem debiti; non entis autem nullæ sunt qualitates.

61. Etsi in mutuo interveniat alienatio nummorum creditorum, ipse tamen con- tractus mutui alienatio non est, non magis, quàm usufructus earum rerum, quæ usu consumuntur, quarum quoque dominium transfertur in usufructuarium; ipse tamen usufructus alienatio non est. Hinc sequitur, si effectu inspecto pecunia à me mu- tuo data mea manet, illud, quod ultra sortem sumitur, non prohiberi à jure naturæ; cur enim ob usum domus meæ, non autem ob usum pecuniæ meæ mercedem petere jure possim, nulla est ratio.

62. An actio Pauliana fructus quoque avocet? Sunt qui ajunt, sunt qui ne- gant. Mihi videtur dubitandum non esse, quin Prætor eos, qui res in fraudem cre- ditorum alienatas detinent, pro alienæ rei possessore habeat; quocirca actio Paulia- na fructus omnes avocabit; difficultas evanescet, si quod de actione Paulianâ scri- ptum existimant in L. 24. §. 4. ff. *que in fraud. cred.* ad interdictum fraudatorium referas. Vid. L. 38. §. 4. ff. *de usuris* & L. 10. §. 19 & 20. ff. *que in fraud. cred.*

63. Bonæ fidei possessor fructus naturales non facit suos, sed tantum industria- les pro culturâ & curâ, eosque irrevocabiliter, ita ut dominus fundi superveniens eos extantes etiam vindicare nequeat: de consumptis autem indistinctè non te- netur.

64. Videre non possum, cur controversias cæteras omnes instrumentis nondum visis ex transactionis causâ finire liceat, eas solas, quæ è testamentis pendent, te- stamentis nondum visis finire non liceat. Quapropter non dubito, controversias, quæ è testamentis originem trahunt, transactione finitas rescindi non posse prætextu te- stamenti postea reperti. Ubi L. 19. *Cod. de Transact.* cum L. 6. ff. *cod.* & L. 1. §. 1. ff. *testam. quemadm. aperi.* concilianda erit.

65. Si mulier dotem stipuletur, ut de eâ testari possit, aut stipuletur, cum mo- reretur, dotem cui velit relinquere, etsi intestata mulier moriatur, dotem in hæ- redem transmittet.

66. Qui

66. Qui vulgò, sed falsò tamen tradunt, rei legatæ dominium legatario etiam igno-  
ranti acquiri statim à testatoris morte, quâ viâ negabunt in edictum fraudato-  
rium incidere eum, qui in frau-lem creditorum legatum repudiat? *L. 6. §. 4. ff. que  
in fraud. cred.*

67. Si duo ejusdem nominis de legato contendant, utrisque satisfidabitur; sed  
ea satisfidatio non progredietur eò usque, ut hæredi noceat, si neuter probabit de  
se testatorem sensisse, quâ de re dubitari non debet *L. 10. ff. de reb. dub. L. 16. ff. ut  
legator, seu fidei.* Quâ de causâ, si cum præmium promissum esset ei, qui primus mu-  
ros ascendisset, plures se se primos ascendisse contendunt, neutri præmium debebitur  
solidum, neque inter eos dividi jure debet. *Contra Grot. Lib. 2. c. 16. §. 19.*

68. Querela inofficiosi testamenti est petitio hæreditatis tanquam ab intestato  
ex Lege Glicia competens, quâ eadem Lege testatum simul & intestatum  
esse non prohibetur. *L. 15. ff. de inoffic. testam.*







